
2714.


ALC
IN
TRC










M Fischer fecit


BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

ALCINOI PHILOSOPHI IN DOCTRINAM PLATONICAM INTRODVCTIO.



HAFNIAE
IN OFFICINA TYPOGRAPHICA
[illegible]

M. [illegible] LXXIII

ALCINOI PHILOSOPHI, AD DOCTRINAM PLATONICAM INTRODVCTIO.



HAFNIAE
IN OFFICINA TYPOGRAPHICA
Iohannis Stockelmanni & Andreæ
Gutteruuitz.

M. D. LXXIIII.

QVID PHILOSOPHIA, ET QVALE INGENIVM Philosophicum.

CAPVT I.

PRæcipuarum Platonis institutionum, doctrina quædam eiusmodi constituatur. Philosophia est appetitio Sapientiæ; uel Solutio atq; auulsio animi à corpore; cùm ad Intelligibilia, & ad ea, quæ uerè sunt, conuertimur. Sapientia uerò diuinarum humanarumq; rerum scientia. Philosophus autem est, qui ab ea, nomen accepit; quemadmodum à Musica, Musicus. Natura uerò, cum primum quidem ad Mathemata aptum esse oportet: ut ad eam cognitionem facilis & promtus sit, quæ est essentiæ non incertæ aut fluentis; sed in solam intelligentiam cadentis. Deinde ad Veritatem ita se habere, ut hanc amet, & ab omni mendacio abhorreat. Natura prætcrea quodammodo temperantem esse, & parte animæ quæ affectibus effertur domita contractáq;. Quoniam Mathematum auidus, circa ea, & ad ea, quæ uerè sunt, appetitionem suam conuertens, uoluptates corporis non admirabitur. Futurum quoq; Philosophum animo liberali esse oportet. Quia rerum uilium

affectatio, maximè contraria est animo, diuina & humana contemplaturo. Illum insuper ad Iustitiam natum esse oportet. siquidem & ad Veritatem, Liberalitatem atq; Temperantiam. Adesse quoq; ei ingenij docilitatem, & Memoriam. Quia hæc Philosophum informant. Ad quas Naturæ dotes, cùm recta institutio & educatio decens accesserunt, perfectum ad Virtutem declarant: neglectæ uerò illæ, maximorum malorum causæ sunt. quas uocis cum ipsis Virtutibus communione, Temperantiæ, Fortitudinis & Iustitiæ nominibus Plato solet exprimere.

Duas esse Vitæ humanæ partes: & in vtrisq; quomodo versari Philosophum; quidq; eundem Contemplationi, quid Actioni tribuere oportet.

CAP. II.

CVM verò sit duplex vita, Contemplatiua uidelicet & Actiua Contemplatiuæ, quod potißimum est, id in Veritatis cognitione consistit: Actiuæ autem in actione eorum quæ Ratio præscribit. Honoranda quidem uita Contemplatiua: huius uerò assecla et necessaria, Actiua existit. Id uerò ita esse ex ijs declarabitur. Contemplatio, est actio

Intelle-

Intellectus Intelligibilia intelligentis. Actio uerò, Animæ rationalis functio, corporis ministerio expleta. Animus namq;, ipsum Diuinum, huiusq; rationes contemplans, benè affici dicitur. Atq; hæc eius affectio, Sapientia est nuncupata. quam quidem nihil aliud, quàm cum ipso Diuino similitudinem, rectè dixeris. Quamobrem illa est primaria ac ueneranda, & maxime omnium expetenda, hominiq; propria, non impedita, quo minus in nostra potestate sit, atq; finis nobis propositi causa. At Actio & ad agendum uis, cum corporis ministerio utantur, impediri possunt. Philosophus tamen, postulantibus ita rebus, aget & ipse; & quæ contemplando meditatus est, ea ad hominum mores usumq; transferet. Ad Rempub. enim ueniet, cum eam ab alijs malè regi senserit: adiuncta hæc existimans; exercitum ducere, iudicia exercere, legationes obire. præcipua uerò in Actione, & inter ea quæ ad Actionem pertinent, sunt: leges condere, uitæ ordinem præscribere, in seditione atq; iuuenili disciplina. Ex quibus intelligitur, omninò non decere Philosophum à Contemplatione deficere; sed eam semper nutrire atq; augere: ad actionem tamen, utpote quæ illi subseruit, nonnunquam accedere.

Philosophia in partes tres distribuitur: deinde hæ singulæ in alias subdiuiduntur.

Cap. III.



Hilosophi autem studium, ut Plato uoluit, in tribus uersari uidetur. In eorum, quæ sunt, Contemplatione & cognitione: in actione honestarum in Rationis & Orationis consideratione. Diciturq; eorum quæ sunt cognitio, Contemplatiua: aliorum quæ ad actionem pertinent, Actiua: quæ circa Rationem & Oraionem, Dialectica. Hæc autem distribuitur, in uim diuidendi, definiendi, Inducendi & Ratiocinandi. Rursumq; postrema, in Apodicticam, id est, demonstratiuam (quæ circa necessariam Ratiocinationem uersatur) in Epicherematicam, (quæ circa ratiocinationem probabilem) tertio, in quæ circa Enthymema, quod est Ratiocinatio imperfecta: ac deniq; in Sophismata; quæ quanquam Philosopho non sunt eligenda, sunt tamen necessaria. Porrò, Actiua, partim circa familiæ præfecturam: partim, circa ciuitatem & huius salutem: quarum prima Moralis dicitur; secunda, Domestica; tertia, Ciuilis. In Contemplatiua autem, quod causas immobiles primasq;, & quæcunq; diuina sunt, inuestigat; Theologia appellatur. quod uerò Astrorum motus, conuersiones & restitutiones in integrum, atq; ipsius Vniuersi coagmentationem inquirit: Physica, hoc est Naturalis scientia, dicitur. quod uerò Geometriam reliquasq; disciplinas spectat,

Mathematicum appellatur. Atq; cùm Philosophiæ distributio sit eiusmodi: de Dialectica primo loco dicendum; quid de illa Plato sentiat: imprimisq;, de eo quod Criterium siue Iudicatorium nominatur.

De Criterio, & viribus Animæ ad Iudicium pertinentibus.

CAP. IIII.

QVoniam est quiddam quod iudicat, & quiddam quod iudicatur; erit etiam aliquid quod ex utrisq; perficiatur: quod propriè, Iudicium uocare poßis: Hoc idem propriè dictum Iudicium, poßit quis appellare, Iudicatorium. Sed his communius est ipsum Iudicans. Hoc autem duplex: unum, A quo; alterum, Per quod, iudicatur. quorum illud, Intellectus est: hoc, instrumentum naturale ad iudicandum accommodatum. quod primò Verorum est, deinde etiam Falsorum. neq; aliud quicquam est, quàm Ratio Naturalis. Apertius autem hoc in ijs quæ sunt. Iudex quidem dicatur Philosophus, à quo res ipse diiudicantur: itemq; & Ratio, per quam Verum diiudicatur, quod modò instrumentum diximus appellari. Duplex autem



Ratio est: una quidem quæ omnino incomprehensibilis, & certa: altera, secundum rerum cognitionem infallibilis. quarum prior in Dei potestate est, hominis uerò minimé. Posteriorem etiam homo potest assequi. Sed hæc quoq; duplex est. una quidem circa Intelligibilia: altera, circa sensilia. quarum quæ circa Intelligibilia occupatur, ea scientia est & Ratio scientiam gignens. quæ uerò ad sensilia refertur opinionis effectrix est, & opinio. Quare ratio scientifica firmorum est & stabilium: utpote quæ de firmis & stabilibus principijs. Ratio autem uerisimilis & opinionum effectrix, maximè est probabilium: quoniam circa constantia non uersatur. Scientiæ autem circa Intelligibilia, & Opinionis circa sensilia, principia sunt Intellectio & sensus. Sensus autem est affectio animæ, per corpus, internuntia primò facultatis perpessæ. Quandò uerò in anima per sentiendi instrumenta sentiendo inprimitur rei species (nam in eo sensus consistit) si ea, propter temporis diuturnitatem non euanescat, sed constans & diuturna seruetur; eius conseruatio, Memoria nuncupatur. Opinio uerò est Memoriæ & sensus complexio. Cum enim in sensibile quiddam primò incidimus, ab eoq; in nobis sensus efficitur, & à sensu Memoria: si postea idem nobis occurrat, superiorem memoriam, cum iterato hoc sensu componimus, & in nobis ipsis iam dicimus, exempli gratia, Socrates, Equus, Ignis, cæteraq; eiusmodi. atq; hoc, Opinio appellatur: quando ita superiorem Memoriam cum recente sensu componimus.

Tempus praesens Ratio & Sensus
futurum praeteritum

ponimus. atq; ubi hæc inter se consonant, opinio uera existit: si uero illa dissonant, eadem dicitur esse falsa. Nam, si seruans Socratis Speciem natam ex eo, quod aliquando cum illo sit congressus, Platoni occurrens, putet se ob quandam similitudinem, Socrati rursus occurerre, ac postea Platonis sensum uelut à Socrate haustum, cum Socratis memoria componat, opinio falsa existit. Id autem in quo sensus atq; Memoria fiunt, cum cerea tabula Plato comparat. Cùm uerò quæ per Memoriam & Sensum opinione concepta sunt, animus cogitatione sibi iterum effingens, ita in hæc respicit, uelut in illa à quib. ista manarunt: functionem eiusmodi, Picturam quandam, ac interdum Imaginationem, idem nominat. Cogitationem autem uocat Animi ipsius ad seipsum, quasi colloquium. sermonem, id quod ab ipsa cogitatione cum uoce per os effluit. Intellectio autem est actio Intellectus, prima Intelligibilia contemplantis. Atq; hæc quoq; duplex esse uidetur: una, animi Intelligibilia intuentis, priusquam cum corpore coniungatur: altera, eiusdem, cum in hoc suum corpus descenderit. Illa quidem priusquã anima iuncta esset corpori νόησις id est Intellectio uocabatur: nunc uerò corpori iuncta, quæ tum dicebatur νόησις, id est Intellectio, nunc φυσικὴ ἔννοια, id est naturalis cogitatio uocatur: quæ Intellectio quædam est, Animi nunc corpori alligati. Quoties igitur Intellectionem, scientificæ Rationis principium esse dicimus: non eam quam nunc proposuimus, intelligi uolumus: sed illam potius, quæ

animo à corpore soluto conuenit: quæ quidem ut diximus, nunc intellectio, nunc naturalis cogitatio nuncupatur. Atq; hæc ipsa naturalis cogitatio, simplex scientia, tum animi ala, tum etiam Reminiscentia ab eodem nominatur. Ex ijs autem simplicibus scientijs constat natnralis scientificaq; ratio, quæ secundũ Naturam inest. Cum itaq; sit & sciens & opinans Ratio, itemq; Intellectio & Sensus: necesse est & his obiecta quædam existere, qualia sunt Intelligibilia, atq; Sensilia. Et quoniam in Intelligibilibus, quædam prima sunt, ut Ideæ: alia secunda; ut Species, quæ in materia sunt, & ab hac separari non possunt: Intellectio quoq; duplex erit; primorum una; altera secundorum. Et quia ex Sensilibus, quædam prima sunt, ut Qualitates; ceu Color, albedo: alia, per accidens; ut Album, Coloratum; post hæc uero quod concretum est; ut Ignis, Mel: eadem ratione, sensus primus, primorum erit; secundus uero secundorum. Atq; prima Intelligibilia, Intellectio diiudicat, non sine ratione scientifica per comprehensionem quandam, sine discursu. Secunda uero, scientifica ratio, non sine Intellectione. In sensilibus autem ea quæ prima sunt, sensus discernit, non sine ea ratione quæ cum opinione est coniuncta. Id uero quod concretum est, eadem Ratio; sed non sine sensu. Cum igitur Mundus intelligibilis, primum sit intelligibile: hic uero sensibilis, concretum quiddam & coagmentatum: illum Intellectio cum ratione diiudicat, hoc est non

sine ratione: hunc, ratio cum opinione coniuncta, non sine sensu. Et cum Contemplatio sit, nec non & Actio: recta ratio haud eodem modo, discernit ea, quæ in Contemplationem & quæ in Actionem cadunt. sed in Contemplatione, quid uerum, quid aliter se habeat, exquirit: in ijs autem quæ ad Actionem pertinent, quid proprium, quid alienum, & quid id quod agitur. Ex eo enim quod natura insitam honesti boniq; notionem habemus, ratione utentes, nosq; referentes ad illas naturales notiones uelut ad definitos quosdam modos, hoc ne an illo modo, se habeant ea quæ in deliberationem cadunt, diiudicamus.

Quæ sint Artis Dialecticæ propria Elementa, quæ ad Definitionem, Diuisionem, Analysin, Inductionem & Ratiocinationem pertinent.

CAP. V.



IN Dialectica hoc potißimum Plato esse putat; ut primum, rei cuiusq; essentia consideretur: deinde ea quæ illi accidunt. Quid autē unumquodq; sit, exquirit; uel à superioribus, diuidendo atq; definiendo; uel ab inferioribus, resoluendo. Accidentia uerò & quæ essentijs insunt: uel ex ijs quæ continentur, per Inductionem: uel ex ijs quæ continent per Ratiocinatione[m]. Vt merito

Diale-

Dialecticæ membra sint, Diuisio, Definitio, Resolutio & præter has, Inductio & Ratiocinatio. Diuisio quidem, alia est Generis in Species sectio: alia, totius in partes; ut cum Animam, in partem rationalem, & in alteram, cui affectus insunt: hancq; rursum, in Irascibilem uim & Concupiscibilem. Alia Diuisio, est uocis in significata; quando unum idemq; nomen pluribus rebus accomodatur. Rursumq; alia Accidentium in Subiecta: ut cum dicimus, de bonis, quædam ad animum pertinere: quædam ad corpus: quædam externa esse. Alia, Subiectorum in Accidentia: ut cum dicimus, hominum quosdam esse bonos, nonnullos malos, alios his medios. Diuisione igitur Generis in Species utendum est, ad cognoscendam rei cuiusq; propositæ essentiam, quæ absq; Definitione fieri nequit. Definitio uerò ex Diuisione hoc modo nascitur. Rei Definiendæ Genus sumendum; ut hominis, Animal: deinde hoc, per proximas differentias secandum, usq; ad Species descendendo; ut in Rationale & Irrationale; Mortale & Immortale. Sic enim, si proximæ differentiæ Generi adijciantur, ex ijs, hominis Definitio cõstituetur. Analysis tres Species habet; unam, qua à sensibus ad prima Intelligibilia ascendimus: alteram qua progredimur ex demonstratis & subdemonstratis ad indemonstratas & immediatas propositiones: tertiam, ex suppositione ad ea principia, quæ sine suppositione summuntur. Prima quidem est eiusmodi: ut si à Pulchro, quod in corporibus

ribus

rib. cernitur, ad id quod animarũ est, transcendamus: ab hoc, ad aliud, quod in uitæ officijs; inde, ad id quod legibus continetur; tandem ad eius immensum pelagus: ut ijs gradibus quod reliquum est, hoc est, ipsum Pulchrum, assequamur. Secunda autem Species Analyseos talis est. Supponendum est id quod quæritur, quæ illo priora sunt consideranda, eaq; demonstranda, à posterioribus ad priora progrediendo; donec ad primum & id quod in confesso est perueniamus: à quo rursus incipientes ad quæsitum, compositionis modo regrediamur. ut quæro, An immortalis sit Animus? Atq; hoc ipso supposito, inquiro, An idem semper mobilis. eoq; demonstrato, inquiro ulterius, An semper mobile per se moueatur? idq; etiam cum demonstrauero, amplius considero, An per se mobile, principium sit motus? Atq; hoc quoq; deinceps, Vtrum principium sit ingenitum: quod quidem ut ratum ponunt. Ingenitum enim Incorruptibile est. A quo ueluti à manifesto incipiens, Demonstrationẽ eiusmodi componam. Si principium ingenitum & incorruptibile, principium motus per se mobile. per se autem mobile, Anima. Incorruptibilis igitur, ingentita & immortalis Anima. Ex suppositione uerò Analysis talis est. Quisquis aliquid inuestigat, illud ipsum supponit. Deinde quid ad suppositum sequatur considerat. Posthæc, si suppositi ratio reddenda sit, aliam suppositionem assumens, quærit, Vtrum quod prius suppositum fuerat, rursus ad suppositionem

nem consequatur: idemq; facit, donec ad principium quod non supponatur, perueniat.

Inductio autem est, omnis secundum rationes uia, uel à simili ad simile progrediens, uel à Singulis ad Vniuersa. Vtilißima autem hæc Inductio est, ad excitandas notiones ab ipsa Natura insitas. Orationis eius quam Propositionem uocamus, species duæ sunt: una quidem Affirmatio: altera Negatio. Affirmatio hæc est, Socrates ambulat: Negatio hæc, Socrates non ambulat. Ex Affirmationibus autem & Negationibus, quædam Vniuersalis est: quædam particularis. Particularis affirmatio, talis, Quædam uoluptas bonum: negatio, Quædam uoluptas non bonum. Vniuersalis affirmatio eiusmodi, Omne turpe malum: Negatio, Nullum turpe bonum. Ex Propositionibus quædam Categoricæ sunt, aliæ Hypotheticæ. Categoricæ, quæ simplices, ut, Omne iustum bonum. Hypotheticæ, quæ uel consecutionem, uel repugnantiam quandam declarant. Ratiocinandi uerò, artem Plato adhibet, arguens & demonstrans. Arguens quidem, ea quæ falsa sint interrogando: demonstrans autem uera docendo. Est autem Syllogismus seu Ratiocinatio, Oratio, in qua quibusdam positis, aliud ab ijs, ui tamen eorum quæ posita sunt, necessariò efficitur.

Ratiocinationum, quædam Categoricæ sunt: aliæ Hypotheticæ: nonnullæ ex illis mixtæ. Categoricæ, quarum tam Sumtiones, quàm Conclusiones, Catego-

ricæ sunt Propositiones. Hypotheticæ, quæ Hypotheticis Propositionibus constant. Mixtæ, quæ utriusq; generis complexionem habent. Vtitur autem Plato Ratiocinationibus demonstrantibus, in Dialogis quæ ad explicationem pertinent: Probabilibus, contra Sophistas & iuuenes: Contensiosis autem, in eos qui propriè contensiosi dicuntur; ut in Euthydemum & Hippiam. Cum uerò Categoricarũ ratiocionationum figuræ tres sint. prima dicitur, in qua communis terminus, de hoc quidem prædicatur, illi, uerò subijcitur. Secunda, in qua idem terminus de utrisq; prædicatur. Tertia, in qua, ille idem, utrisq; subijcitur. Terminos dico, propositionum partes; ut in hac, Homo est animal, Hominem & Animal terminos appellamus. Atq; in prima figura Plato disputat, itemq; in secunda & tertia. Et in prima quidem sic: in Alcibiade. Iusta, pulchra sunt: pulchra, bona: iusta ergo bona sunt. In secunda; ut in Parmenide. Quod partes nullas habet, nec rectum, nec rotundum est. at quicquid figuræ est particeps, aut rectum est aut rotundum. quod ergo partes non habet, figuræ nullius est particeps. In tertia sic, eodem libro, Quod figuræ participat, Quale est: quod figuræ participat, finitum: quod ergo Quale est, finitum est.

Ratiocinationes autem Hypotheticas, interrogatas ab eodem, libris multis deprehendemus; & maximè in Parmenide. Si non habet partes ipsum Vnum; nec principium, nec finem, nec medium habet. si

neq;

neq; principium, neq; medium, neq; finem habet, nec terminum habet. si terminum non habet, neq; figuræ ullius est particeps. Ergo si non habet partes ipsum Vnum, nullius figuræ est particeps. At in secunda figura Hypothetica (quã plurimi tertiam nominant) in quo scilicet medium commune, extrema utraq; sequitur, in hunc modum interrogat. Si non habet partes, ipsum Vnum; neq; rectum est, neq; rotundum. si figuræ est particeps, aut rectum est aut rotundum. quare, si partes non habet, nec figuræ ullius est particeps. Quinetiam ad tertiam figuram (quæ nonnullis secunda est, in qua communis terminus, antecedit) in Phædone sic interrogat. Si scientiam ipsius æqualis adepti, nunquam obliuioni tradidimus, perfectò scimus. Si autem obliti sumus, recordamur. Mixtis item Argumentationibus, quæ per consequentiam procedunt, utitur, hoc modo. Si unum totum est, & finitum, hoc principium & media finemq; habens: figuræ etiam erit particeps. Verum autem Antecedens. Verum igitur Consequens. Aliarum autem quæ ex consecutione eueniunt differentiæ, sunt ex eo ipso considerandæ. Quando quis igitur perfectas habet Animæ facultates, hominumq; differentias, & orationis formas, quas uarijs uariè accommodet, acuteq; sentit, quis, quibus rationibus & cuiusmodi, persuaderi poßit: hic, si nactus fuerit occasionem ad usum accommodatam, perfectus erit Orator, eiusq; Rhetorica, scientia benè dicendi meritò nuncupabitur.

Sophisma-

Sophiſmatum quoq; & captionum rationem, modo propius intueamur, in Euthydemo à Platone ſignificatam deprehendemus. ſiquidem eo & quæ ſecundum uoces, & quæ ſecundum res ipſas, ſophiſmata committuntur, harum explicationes indicantur. Atq; etiam decem Categorias, tum in ipſo Parmenide, tum in alijs Dialogis quaſi adumbrauit. Etimologiæ autem formam uniuerſam in Cratylo eſt complexus. Et planè hic uir perfectus & admirabilis in definiendo & diuidendo: quæ in illo uim Dialecticæ maximam declarant. In ijs uerò, quæ in Cratylo traduntur, illius mens eſt eiuſmodi. Quærit naturâne nomina conſtent, an Poſitione: atq; ſtatuit nominum rectitudinem Poſitione conſtare: non tamen omninò, neq; ut ſors tulit: ſed ita, ut eiuſmodi Poſitio, naturæ rei ſit conſentanea. Non enim eſſe aliud nominum rectitudinem, quàm inſtitutionem, cum rei ipſius natura conuenientem: neq; quamlibet poſitionem ad rectitudinem nominis ſatis eſſe: neq; uerò naturam, aut in hac primum uocis ſonum: ſed quod ex utriſq; compoſitum eſt: ut quoduis nomen ponatur, rei familiare & proprium. Non enim ſi quodlibet nomen ad rem quamuis, temerè adhibeatur, rectè ſignificat: ut ſi homini, nomen equi imponamus. ſiquidem loqui, actio quædam eſt. quare, non quouis modo quis loquatur, rectè loquitur: ſed ſi loquatur ut rerum ipſarum natura poſtulat. Quoniam uerò loquutionis quædam pars eſt, rei nominatio; quemadmodum &

orationis pars, ipsum nomen: recte uel non recte nomen imponere, haud sane cuiuslibet institutionis erit; sed eius, in qua nomen cum ipsa re naturali, quandam cognationem habebit; isq; rectus erit nominum conditor, qui ijsdem, rei naturas exprimet. Nam rei instrumentum nomen est: non quodcunq;, sorte datum, sed naturæ consentaneum: eodemq; res inter nos communicamus & discernimus. Quo fit ut nomẽ, instrumentum sit docens ac discernens rei cuiusq; substantiam: quemadmodum Textoris radius, telæ. Ad Dialecticum hoc etiam pertinebit, nominibus recte uti. Vt enim radio Textor utitur, propriam eius functionem agnoscens, cum illum faber efformauerit: haud secus Dialecticus, nomine utetur, quod nominum conditor, ut decet effinxit. Etenim clauum conficere fabri est: eo autem recte uti, Gubernatoris officium. Sic quoq; nominum institutor, recte nomina statuet, si id fecerit quasi præsente dialectico, ut eo, qui perspectas habet rerum subiectarum naturam. Atq; id quidem quod Dialecticum, ad hunc modum sit descriptum.

Aggreditur secundam Philosophiæ partem, quæ in Veritatis contemplatione con-

ne consistit.. Cuius cum tres aliæ particulæ sint, eam primo loco ex Platone describit, quæ artes Mathematicas continet.

CAP. VI.

DEinceps autem de Contemplatiua Philosophia dicemus. in qua quiddam est Theologicum, aliud Physicum, aliud Mathematicum. Theologici finis est, cognitio primarum causarum, & earum quæ sunt supræmæ ac principes. Physici, discere quæ Vniuersi natura sit; & quale quid animal, Homo: quem locum in Vniuerso habeat. Num Deus omnibus prouideat; an etiam huic Dij quidem alij subiecti: aut quomodo homines ad Deos sese habeant. Mathematici uerò finis est, planam, & in tres dimensiones porrectam naturam cognoscere, & motus & lationes quomodo se habeant exquirere. Mathematici autem studij Speculatio summatim subijciatur. Hæc à Platone assumta est, ad cogitationis discurrentis acumẽ, quo animus acuitur, & ad contemplationem eorum, quæ sunt, accuratam subtilitatẽ præbet. Cuius pars ea, quæ circa numeros uersatur, non uulgarem facilitatẽ parit ad ascensum ad id quod Est; sed propemodũ liberat errore et ignorantia, quæ circa hæc Sensilia uersantur, et adiumentũ

adfert ad Essentiæ cognitionem. Atq; ad bella gerenda promtum reddit, per eam peritiam quæ ad struendam aciem est necessaria.

Quod autem Geometriæ est, idem quoq; ad ipsius Boni cognitionem accommodatissimum. cum quis non actionis causa hanc persequitur; sed ut ad id quod semper est, ascendat: non ut in ijs quæ oriuntur & & intereunt, uersetur. Vtilissima etiam est ad actionem. Post secundum augmentum consequens eius Contemplatio, quod tertium augmentum suscipit. Vtilis præterea ut quarta quædam disciplina, Astronomia est; per quam, in cœlo, huius astrorumq; motus contemplabimur: & diei ac noctis opificem, mensium item & annorum. Ex quibus secundum familiarem uiam, uniuersorum Opificem inquiremus; ab ijs disciplinis, tanquam aliquo fundamento, quasi ab Elementis ascendentes.

Musicæ quoq; rationem habebimus, ad ea ipsa auditum adhibentes. Vt enim ad Astronomiam, oculi dati sunt: sic auditus ad concentum. Vtq; in Astronomiam incumbentes, ac ijs quæ oculis perciqiuntur ad inaspectabilem & intelligibilem essentiam deducimur: sic concinnam uocum harmoniam audientes, per hæc ipsa quæ in sensum aurium cadunt, ad ea quæ Intellectu percipiuntur, ascendimus. Vt nisi hoc animo istas disciplinas persequamur, in uanum, nostrum studium & inutilis labor sit futurus. Oportet enim acutè ab ijs quæ uidentur & audiuntur, ad illa progredi quæ

di quæ ſola intelligentia cernuntur. Siquidem harum diſciplinarum ſpeculatio, ad contemplationem eorum, quæ ſunt, præludium quoddam eſt. Geometria quippe & Arithmetica, & qui eas colunt, ad Eius quod Eſt, cognitionem, uiam affectant. ſed circa id multi ſomniantibus ſunt ſimiles; nec in eo reuera quicquam conſequi poſſunt. quoniam ignorant ipſa Principia, & quæ ex iis orta ſunt. nihilominus tamen ad id quod dictum eſt, utiliſsima ſunt. Ideoq; nec eiuſmodi diſciplinas, Plato, Scientias eſſe dixit. Dialectica quidem Methodus, ita comparata eſt; ut per Geometricas Hypotheſes, ad prima potiſsimaq; principia, quæ ex Hypotheſi non ſumuntur, aſſurgat. quapropter Dialecticam, Scientiam appellauit. Mathematica uerò, non Opinionem; quòd clariora ſint quàm Senſibilia; neq; rurſus Scientiam; quia obſcuriora ſunt primis Intelligibilibus: ſed Opinionem, corporum eſſe dicit; Scientiam, Primorum; cogitationis diſcurſum, Mathematicorum. Ponit quoq; Fidem & Imaginationem: Fidem quidem, Senſilium; Imaginationem uerò, imaginum & uiſorum. Quoniam uerò Dialectica diſciplinarum omnium potentiſsima eſt, quòd circa diuina conſtantiaq; uerſetur: idcirco, illa, Mathematicis ſuperior ſtatuitur, uelut lorica quædam, & reliquarum cuſtodia.

De tribus Vniuersæ Naturæ Principijs, & primum, de Materia.

CAP. VII.

POst hæc sequitur, vt de Principijs, & de his quæ sunt Theologicæ Speculationis, differamus; à primis ducto initio, & ab ijs ad Vniuersi generationem descendentes: tandemq; desinentes in hominum procreationem atq; naturam. Ac primum de Materia dicamus. Hanc, fictioni subiectam, omnium receptaculum, nutricem, matrem, ac locum nominat: atq; subiectum sine sensu tractabile, adulterináq; ratione comprehensibile. Eius autem proprium esse uult, ut omnes rerum generationes suscipiat, ac nutricis instar foueat: omnes item formas recipiat, cum suapte natura, omnis Formæ, & Qualitatis ac Speciei sit expers. Talia uerò in ea, tanquam in tabula effingi, ab ijsdemq; hanc informari, cùm nullius propriæ figuræ qualitatisuè sit particeps. Neq; enim esset ad uarias rerum formas & impreßiones commodè præparata, nisi Qualitatis esset expers, & omnium earum formarum, quas debet excipere. Siquidem uidemus eos, qui ex oleo, unguenta parant odore suauia, oleũ quærere, quod maximè omnis odoris sit expers; uel qui in cæra aut argilla, rerũ figuras uolunt effingere, illa præmollire,

atq; sine ulla figura exhibere. Conuenit igitur Materiæ omniū capaci, ut, si modò Formas omnes susceptura sit, nullam earum naturam habeat: sed Qualitatis & Formæ omnis expers, Formis omnib. subijciatur. Hæc itaq; cùm sit eiusmodi, neq; corpus erit, neq; quid corporeum: sed potentia corpus, quemadmodum æs, potentia statua. quoniā formā suscipiens, statua fiet.

De Ideis, quarum rerum sint, & quibus rationibus à Platonicis asserantur. CAP. VIII.



VM verò Materia Principij rationem habeat, alia quoq; Principia ille admittit. Vnum quidem Exemplare, quod Idearum est: Alterum, quod est patris, & causæ rerum omnium, Dei. Est autem Idea, quo ad Deum, eius Intellectio seu Notio: ad nos uerò primum intelligibile: ad Materiam, Modus: ad mundum sensibilem, Exemplar: ad seipsum autē, Essentia. Omnino enim quicquid fit animi iudicio, ad aliquid fieri necesse est. Quemadmodum si quid ab alio fiat (ut à me ipso, mei imago) eius exemplar præsupponi oportet. Atq; etiam si externum nullum sit exemplar, unusquisq; artifex in se illud conceptum habens, eius formam in materia exprimit. Definiunt autē Ideam, Exemplar æternum eorum quæ secundum naturam.

Multis enim Platonicis minimè placet, Artificialium Ideas esse, ut Clypei, uel Lyræ: neq; eorum quæ præter naturam sunt, ut febris, ac bilis non naturalis: neq; etiam singulorum; ut Socratis & Platonis: neq; uilium uel abiectorum, ut sordium atq; festucæ: neq; Relatorum; ut maioris & excedentis. Esse namq; Ideas, Dei notiones æternas, & seipsis perfectas. Quod autem sint Ideæ, his rationibus suadent. Siue Intellectus Deus ipse sit, siue intelligens; intelligibilia illi insunt; hæcq; æterna atq; immobilia. Si autem hoc; sunt Ideæ. Etenim si materia ipsa, per se, mensuræ est expers, ab alio meliore & immateriato, modum mensuramq; accipiat necesse est. Verum autem est Antecedens. Verum igitur Consequens. Si autem hoc; sunt Ideæ: cum modi quædam sint immateriales. Accedit ad hæc, quod si mundus non à se, aut quodam casu talis est, non solum ex aliquo ortus est; uerum etiam ab aliquo. neq; solum hoc, sed ad aliquid etiam conformatus. id uerò ad cuius imitationem conformatus est, quid aliud esse potest quàm Idea? Quare sunt Ideæ. Sed &, si Intellectus à uera Opinione differt, etiam intelligibile ab opinabili differt. Si autem hoc; sunt Intelligibilia ab opinabilib. distincta. Quare sunt prima Intelligibilia: quemadmodum & prima Sensilia. Si uerò hoc; sunt Ideæ. At differt Intellectus ab Opinione uera. ex quo Ideas esse concluditur.

Deum esse, & quibus rationibus inuestigetur.

CAP. IX.

DEinceps de tertio Principio disseramus, quod penè ineffabile Plato ponit. De ipso autem ad hunc modum inferamus. Si sunt Intelligibilia: hæc autem, nec Sensilia nec Sensibus participantia: sed primis quibusdam intelligibilibus; sunt prima Intelligibilia, quemadmodum & prima Sensilia. Verum autem Antecedens. Verum ergo Consequens. Homines quidem perturbatione sensuum occupati, quoties Intelligibile quiddam contemplari uolunt, in Phantasia, rei sensilis imagine implentur. quo fit, ut magnitudinem, figuram & colorem, cum illo, sæpe animo comprehendant: atq; sic sæpenumero sincerè illud non intelligunt. Dij uerò, ut secreti à sensibus, purè, sincerè, & impermixtè. Quoniam uerò Intellectus, Anima melior est: Intellectu autem eo qui est in potentia, melior Intellectus ille qui actu, semper & simul omnia intelligit: hoc uerò pulchrior is, qui huius est causa, & qui etiam his superior est: is utiq; Deus primus est, idemq; causa ut Vniuersi Intellectus semper agat. Agit autem, ipse immobilis, in hunc, quemadmodum & Sol in aspectum, cum illum hic intuetur.

Atq; ut appetibile, appetitionem mouet, cum ipsum immobile maneat: sic & hic Intellectus, cœli Vniuersi Intellectum mouebit. Quoniam uerò primus Intellectus, pulcherrimus est: pulcherrimum quoq; Intelligibile illi subijci oportet. Nihil autem ipso pulchrius. seipsum igitur suiq; notiones semper intelligit. Hicq; eius actus, Idea est. Quinetiam Deus primus, æternus est, ineffabilis, ἀυτοτελὴς, hoc est seipso perfectus, et nullius indigus, ἀειτελὴς, id est semper perfectus, Diuinitas, Essentialitas, Veritas, Symmetria, Bonum. Dico autem hæc, non ut separans, sed ut per omnia unum intelligens. Atq; bonum quidem est, quoniam in omnia, pro cuiusq; facultate, sua beneficia confert; cum omnis boni causa sit. Pulchrum uerò, quoniam ipsa natura amplius quiddam est, & commensuratum. Veritas, quia omnis ueritatis principium est, ut Sol luminis. Pater uerò est, quia causa omnium: cælestemq; intellectum & mundi Animum ad se ipsum suiq; notiones exornat. Nam secundum suam uoluntatem omnia seipso compleuit, mundi animum excitans & ad seipsum conuertens. Quippe qui eius intellectus causa sit, qui à patre ornatus, in mundo hoc naturam uniuersam exornat. Ineffabilis autem est, & ut antea dictum, solo intellectu perceptibilis: quia neq; Genus est, neq; Species, neq; Differentia; imò neq; accedit illi quicquam. Nam nec malum, nefas enim dictu id esset: neq; etiam bonum; siquidem participatione alicuius & maxime bonitatis, talis existeret.

Neq;

Neq; differentia, non enim secundum eius notionem fieri potest: neq; quale; non enim qualitate affectum est. Quia quod eiusmodi est, id à qualitate est perfectum. Neq; uerò qualitatis est expers. quoniam nulla qualitate ad se pertinente est priuatus. Neq; pars est cuiusquam: neq; ut totum ex partibus constitutum. Neq; idem, uel diuersum. Quoniam in eum nihil cadit quo ab alijs secerni poßit. Neq; uerò mouet, neq; mouetur. Erit igitur prima, in eo intelligendo, ratio, per abstractionem horum. Quia & punctum intelligimus à sensilibus abstrahendo: primò quidem superficiem cogitatione comprehendentes: deinde lineam: postremò, ipsum punctum. Secunda uero in quadam rationis similitudine, hoc modo. Quam rationem sol habet ad aspectum, & ad ea quæ aspectabilia sunt, cum ipse aspectus non sit, huic autem præstet ut uideat, illis ut uideantur: eandem profectò Intellectus primus, ad Intellectionem quæ in animo est, & ad ea quæ intelliguntur. Neque enim est ipsa Intellectio: perficit tamen in hac, intelligendi actum: illis uero præstat ut intelligantur, ueritatem quæ eis inest, illustrans. Tertia: eiusdem intelligendi ratio, talis quædam erit. Contemplans aliquis pulchrum quod corporibus inest, ex eo progreditur ad animi pulchritudinem: hinc ad alteram, quæ in institutis ac legibus: deinde ad immensum pelagus ipsius pulchri. Ex quo ipsum bonum intelligit, & hoc amabile ac expetendum, uelut splendorem in animum

qui

qui per hos gradus aſcendit, refulgentem. Cum hoc au em, cumq; ipſo Deo, intelligit, propter eam quæ in honorando eſt excellentiam. Partis quoq; expertem intelligit. quoniam illo nihil prius eſt. Pars autem omnis, & id ex quo aliud conſtituitur, id ipſum antecedit, cuius pars eſt. Etenim planum prius eſt corpore, & linea plano. Cum uerò ſit partium expers, neq; loco moueri poteſt, neq; qualitatibus commutari. Quoniam ſi commutetur; uel à ſeipſo, uel ab alio commutabitur. Si ab alio; illud certè Deo potentius eſſe oportebit. ſin à ſeipſo: aut in deterius, aut in melius eiuſmodi commutatio fiet. At utrumq; horum in ijs eſt quæ fieri nullo modo poſſunt. Ex quibus omnibus perſpicuum eſt, ipſum quoq; corpore carere. quod etiam ex ijs demonſtrabitur. Si enim Deus corpus eſt, ex materia formaq; conſtat. quoniam, corpus omne, concretum quiddam eſt ex materia, formaq; cum illo coniuncta. Quod quidem Ideis ſimile efficitur & earum particeps, ratione quadam inexplicabili. Abſurdum autem eſt, Deum, ex Materia Formaq; conſtare. Simplex enim non eſſet, nec cauſæ principalis rationẽ retineret. Quamobrem incorporeum quiddam Deus eſt. Idemq; ex eo intelligitur; quod ſi corpus eſt, ex materia conſtat. quare uel Ignis, uel Aqua, uel Terra, uel Aër, aut aliquid ex his. Nullum autem horum principale eſt. Erit etiam ſua materia poſterior, ſi ex materia eſt. Quæ, quoniam abſurda ſunt, incorporeum eſſe Deum neceſſe eſt.

Corrum-

corrumpi enim posset, si corpus esset; ortusq; esset, & mutationi obnoxius. Quorum quodlibet in Deo est absurdum. Porrò, Qualitates etiã incorporeas esse hoc modo demonstretur. Omne corpus subiectum est. Qualitas uerò non Subiectum est, sed Accidens: Qualitas ergo corpus esse non potest. Omnis qualitas in subiecto. Nullum autem corpus in subiecto. Qualitas ergo corpus non est. Deinde qualitas qualitati contraria est: non autem corpus corpori. quoniam corpus à corpore, hoc ipso quod corpus est, nulla re, sed qualitate distinguitur. Quare corpora, qualitates non sunt. Quinetiam rationi maximè consentaneum est, ut quemadmodum Materia, qualitatis est expers: ita Qualitas immateriata esse dicatur. At si immateriata est, eandem incorpoream esse necesse est. Etenim, si qualitates corpora sunt; duo triaue corpora simul erunt. Hoc autem absurdißimum. Atqui positis qualitatibus incorporeis, opificem quoq; earum incorporeum esse necesse est. Deinde efficientia non alia quàm incorporea esse possunt. Sunt enim corpora suapte natura patibilia atq; fluentia, neq; semper secundum se ipsa eadem, nec eodem modo se habentia, neq; constantia, neq; firma. Quæq; in ijs aliquid uidentur agere, ea multo ante patientia deprehenduntur. Quare ut est aliquid omnino patibile: ita necesse est aliquid quod uere agat, existere. Hoc uerò aliud ab incorporeo reperiri nullo modo potest. Sit igitur principiorum explicatio Theolo-

gica

gica eiusmodi: nunc ad Physicum progrediendum. hinc ducto initio.

Intelligibilem Mundum à Sensili, vt Exemplar ab imagine distinguit. deinde hunc vnicum esse oportuisse confirmat; atq; ostendit quam rationem inter se habeant quatuor Elementa, ex quibus constituitur.

CAP. X.



Voniam, eorum quæ secundum naturam sensilia & singularia sunt, definita quædam Exemplaria, Ideas scilicet, esse oportet; quarum Scientiæ sint & Definitiones (nam præter singulos homines, hominem quendam animo concipi: & præter equos singulos, quendam equum, ac communiter præter hæc animalia, animal ingenitum & immortale: quemadmodum ab eodem sigillo plurima exprimuntur signa, & unius hominis imagines infinitæ, Idea causa existente, quæ Principium est essentiæ, à quo unumquodq; habet id ipsum quod est) necesse est, Vniuersi pulcherrimum opificium, effectum esse ab ipso Deo intuente in aliquam Ideam, quæ exemplar extitit huiusce mundi, ad illius imitationem efformati. Illi uerò similem hunc factum oportuit, ab opifi-

opifice, sua prouidentia maximè admiranda, ad efficiendum accedente; quia bonus erat. Illum itaq; construxit ex tota materia, quam ante huius originem, inconcinne & sine ordine agitatam, in optimum ordinem adduxit: & aptis numeris atq; figuris, partes eius exornans, perfecit, ut mundus ea ratione sit contextus, quam etiam nunc, ignis & terra, ad aërem & aquam seruant. Habentia quidem tunc tantum uestigia, & naturæ aptitudinem ad Elementorum facultatem, temerè & sine ratione materiam quatiebant, ab illaq; quatiebantur. Ex singulis uerò quatuor Elementis totis, eum conformauit. Ex toto scilicet igne, atq; terra, itemq; ex aëre & aqua: nullam horum partem relinquens, aut ad hæc facultatē. Animaduertens, primū quidem, id quod fiebat, corpore constare oportere, tractabile esse atq; aspectabile: nihilq; sine igne & terra uideri posse aut tangi; iusta ratione ad huius compositionem terràm & ignem assumsit. Quoniam uerò horum medium quoddā uinculum erat necessarium, diuinum autē illud est, quod secundum rationis similitudinem se ipsum & ea quæ uinciuntur, potest suapte natura in unum colligere: planusq; mundus nequaquam erat futurus (huic enim unum medium fuisset satis) sed globosus: idcirco duo media ad eius coagmentationem fuerunt necessaria. Itaq; inter ignem & terram, aër & aqua apto rationis modo interiecta sunt: ut quemadmodū se habet ignis ad aerem, sic aer ad aquam, & hæc ad terram: itemq; uicißim retro commeando.

Quia

Quia uerò nihil extra mundum hunc relictum est, unicum fecit, numero respondentem Ideæ, quæ unica est. Morbi præterea & senij expertem: quia in eum nihil cadit, à quo secundum naturam corrumpi poßit: tum seipso contentum, & nulla re externa indigentem. Figuram autem illi circumposuit globosam, omnium pulcherrimam, capacißimam, maximeq; uolubilem. Et quoniam neque aspectu egebat, neq; auditu, neq; ullo alio sensu: ideo nulla instrumenta ad eiusmodi ministerium illi accommodauit. Cæterisq; motibus ademtis, unum ei dedit, qui in orbem fit, ut Mentis & Prudentiæ proprium.

In Mundo hoc sensibili, Anima à corpore distinguitur. Deinde figuris regularibus ad huius partes accommodatis, illarum principia secundum Pythagoræorum doctrinam ad certas triangulorum differentias referuntur.

CAP. XI.



VM autem duo sint, ex quibus mundus est constitutus, corpus & animus: quorum illud quidem, aspectabile & tractabile: sic, neq; aspe-

aſpectabilis eſt, neq; tractabilis; utriusq; uis & conſtitutio eſt diuerſa. Corpus enim ipſum ex igne, terra, aqua & aere coagmentatum eſt; ſiquidem hæc quatuor, quæ ſanè nullum ordinem Elementorum prius habebant, mundi Opifex formauit, Pyramide atq; cubo, Octaedro & Icoſaedro; præter hæc omnia dodecaedro. Materia enim, quatenus Pyramidis figuram ſuſcepit, ignis extitit: quod hæc omnium maximè ſecando & diuidendo ſit accommodata; paucioribusq; triangulis conſtet: atq; idcirco ſit rariſsima. quatenus autem Octaedra facta eſt, ſimul aeris qualitatem accepit: ſicut & aquæ, quatenus Icoſaedri forma eſt ornata. Cubi uero figuram terræ attribuit, ut omnium maxime ſolidæ atq; firmæ. At dodecaedrum ad ipſum uniuerſum accommodauit. Magis autem quàm hæc omnia, ad principia accedit, natura planorum. ſiquidem plana, ſolidis ſunt priora. Planæ uerò naturæ duo quidam progenitores trianguli pulcherrimi rectanguli; unus, Scalenus; alter Iſoſceles. Atq; ſcalenus, cum unum angulum habet rectum, alterum continentem duas tertias unius recti, reliquum uero eiuſdem partem tertiam; hunc quidem priorem dico. Hic autem ſcalenus triangulus Pyramidis & octaedri atq; Icoſaedri elementum eſt. Cum Pyramis ex triangulis quatuor, omnia latera æqualia habentibus conſtituitur: quorum quilibet, in ſex triangulos Scalenos, quales modo dicti ſunt, diſtribuatur.

Octaedrum uerò ex octo, qui similiter singuli in sex Scalenos diuidantur. Sicut & Icosaedrum ex uiginti. Alter uero (dico autém Isoscelem) aptus est ad constituendum cubum. Quoniam huius speciei quatuor trianguli coniuncti, quadratum absoluunt: sicut sex quadrata, cubum. Dodecaedro autem, ad uniuersum Deus usus est. quia in cœlo, signa duodecim conspiciuntur, in Zodiaco; quorum unumquodq́; in partes triginta secatur: quemadmodum in dodecaedro ex duodecim pentagonis composito, horum cuilibet in quinq; triangulos diuiso, sex trianguli insunt: sicq́; in toto dodecaedro trianguli trecenti sexaginta reperiuntur, quot & ipsius Zodiaci sectiones sunt. His igitur figuris, materia à Deo expressa mouebatur: primum quidem rudibus uestigijs, sine ordine; deinde ab eodem in ordinem adducta, secundum eam rationem, quam in illa coagmentatione omnia inter se obtinent. Neq; tamen hæc, loco discreta manent; sed in perpetua agitatione sunt, eandemq; Materiæ afferunt. Quoniam mundi ambitu constricta pelluntur; & alternis pulsibus ipsa feruntur: ea quidem quæ tenuiorum sunt partium, in regionem craßiorum. Quare nihil omnino inane relinquitur, & corpore uacuum: atq́; in illis inæqualitas permanens, concußionem affert. siquidem materia ab ijs agitatur, & hæc ab illa.

In mun-

In mundo hoc, de cuius corpore dictum est, obseruat, Animam & Mentem; in ijsq; Idem & Alterum. Deinde, hæc etiam cælestibus corporibus accommodat, singulorumq; proprios motus distinguit.

CAP. XII.



EX corporibus ad eas facultates quæ in animo apparent, huius dòctrinam instituit. Nam cum omnia quæ sunt, animo diiudicemus, meritò rerum omnium principia huic insita esse uoluit: ut eorum quæ occurrerent quodlibet, per id quod cognatum est & familiare contemplantes, consonam functionibus essentiam huic accommodaremus. Cum itaq; diceret substantiam quandam esse intelligibilem, indiuiduam; aliam quoq; circa corpora diuiduam posuit: declarans utriusq; cognitionem intelligentia posse parari. Videns autem in intelligibilibus Idem; & Alterum in in ipsis diuiduis; ex his Animum composuit. Aut enim simile simili cognoscitur, (ut Pythagoreis placet) aut ut Heraclito Physico, dißimile dißimili. Quando autem mundum genitum esse ait, non sic accipiendum est, quasi fuerit aliquod tempus, in quo

mundus non esset: sed quia semper in generatione est, atq; arguit existentiæ huius causam quandam esse priorem, & ad principij rationem magis accedentem. Neq; uero mundi animum, qui semper fuit, Deus procreat, sed exornat: atq; hunc procreare dicitur, ad se ipsum eius Mentem conuertens, illamq; excitans, quasi ex caro quodam & profundißimo somno. ut in ipsius intelligibilia intuens, species & formas excipiat, illius notiones appetens. Perspicuum igitur est, Mundum, animal esse, & intelligentiæ particeps. Nam cum hunc, optimum Deus esse uellet, consequens erat ut animatum & intelligentem faceret. Quandoquidem opificium animatum, inanimato omnino præstantius est, & intelligens non intelligente. Nec fortè ipsa Mens sine Animo poterat subsistere. Animo uerò sic fuso à medio ad extrema, accidit ut Mundi corpus circulo complecteretur & circumtegeret. sicq; per omnes Mundi partes idem extensus, hunc colligeret atq; coniungeret. Adeo ut quæ illius externa sunt, eadem internis præsint. Animus quidem externus indiuisus permansit: internus autem in septem circulos diuisus, à principio secundum dupla & tripla interualla distributus. Isq; qui ab indiuidua sphæra comprehenditur, Eidem respondet: Alteri autem, is qui diuisus. Motus enim cœli omnia complexu suo continentis, erroris nescius, unus est & ordinatus. At uero interiorum orbium, uarius, ortibusq; & occasibus permutatur: atq; ex eo errationis

tionis

ticus appellatur. Fertur autem extimus orbis ad dextra, ab ortu in occasum incitatus: interior uerò retrorsum ad sinistra, ab occidente in orientem, mundo obuiam eundo. Stellas autem & astra Deus ipse est fabricatus, & horum quædam inerrantia, ad cœli noctisq; ornatum: quæ in numero sunt maximo. alia uero, ad numeri temporisq́; originem, & eorum quæ sunt illustrationem: quæ septem sunt. Etenim Tempus fecit motionis mundi interuallum, ut imaginem Sempiternitatis: quæ mensura est status mundi sempiterni. Errantium quoq; syderum non eadem uis. Siquidem, Sol, dux est omnium, detegens & illustrans uniuersa. Luna uero ratione potestatis suæ, ordine secunda cernitur. Cæteri Planetæ secundum suam conditionem, inter se quandam rationem obtinent. Luna quidem mensis mensuram conficit: eo spacio circulum suum absoluens, & tanto solem complexa. Sol autem anni. Quoniam per Zodiacum excurrens, anni tempora adimplet. Reliqui pro sua quisq; ratione proprios ambitus conficiunt: qui non quibusuis noti sunt, sed eruditis. Ex ijs autem omnibus perfectus numerus & tempus exurget, cum ad idem punctum omnes regreßi, eum habebunt inter se ordinem, ut si linea recta animo concipiatur ab inerrante orbe in terram ad pares angulos producta, in hac, omnium centrum conspiciatur. Cum igitur septem sint sphera in sphera errante, inhis corpora septem aspectabilia, ex ignea substantia plurima,

Deus fabricatus, ipsis globis ex errante & altero circulo participantibus accommodauit. Lunam quidem in circulo à terra primo posuit: Solem in secundo: Luciferum & Mercurij stellam, quæ sacra dicitur, in eo cuius cum Sole par est & æqualis conuersio: qui tamen ab hoc distat. Supra autem reliquas posuit, secundum propriam cuiusq; spheram. Tardißimam quidem omnium stellam, quam Saturni nominant, in sphera inerrantibus proxima: ab hac uero tarditate, secundam, Iouis: sub qua stella Martis. Octaua potestas, quæ suprema, has omnes est complexa. Omnia uero hæc, animalia intelligentia, & Dij, & globosa figura prædita.

In Maximo Animali, cuius corpus & Animus, partiumq; in his ordo supra explicata sunt, obseruat minorum Animalium genera, suis regionibus in eodem distincta: vt tandem desinat in hominem, tanquam in minorem Mundum.

CAP. XIII.



Vnt & alij, Dæmones quos dicere poßis, intelligentiæ participes Deos, in unoquoq; Elementorũ: nonnulli quidẽ aspectabiles, alij inaspectabiles,

biles, in Aethere atq; igne, itemq́; in Aere, & Aqua. ne pars ulla Mundi, Animi expers sit, neq́; animalis eius quod natura non intelligente præstantius. His autē subiecta sunt quæ infra lunam, & terrena omnia. Etenim Deus ipse, Vniuersi, Deorumq́; est opifex. neque Vniuersum unquam dissoluetur, propter eiusdem uoluntatē. Alijs autem filij eius præsunt, ad patris imperium & exemplum quæ faciunt, omnia referentes. A quibus Sortes, Furores, Somnia, Oracula, & quæcunq́; secundum diuinationem ab hominibus arte aliqua tractantur. Terra uerò omniū media, circa uerticem per uniuersitatem traiectū, uincta atq; constricta, diei noctisq; custos, Deorum omniū qui cœli ambitu continentur, antiquißima, ac post ipsum Mundi Animum, nobis alimenta abunde suppeditans. circa quam cœlum uoluitur; astrumq́; ipsa quoddā est. Manens autem, quia ad æquilibrium est in medio, quod similiter se habet ad continentia. Aether autem extimè distinctus est in sphæram errantium & inerrantium. Quib. Aer subest. in medio uerò Terra, suo humore perfusa. Quibus omnib. ab illo pulchrè apteq́; coagmētatis et distributis, animaliū tria genera restabant, quæ mortalia erant futura, Volatile, Aquatile & Pedestre. Quorum procreationem filijs demandauit: ne ab eodem procreata, essent immortalia. Hi igitur à prima materia particulas quasdam, ad usuram definiti temporis mutuati, in eandem aliquando rursum rediturας; effinxerunt mortalium animalium genera.

Quoniam uerò de hominnũ genere, ut Dijs maxime cognato, rurſus cura erat. & ipſi Patri omnium, & Dijs huius filijs: demiſit in terrã, Vniuerſi opifex illorum animos aſtris numero pares. Ingreſſis autem ad aſtrũ quaſi uehiculum quadam ſocietate coniunctum, instar legislatoris, omnib. fatales leges edixit, ut ipſe omni culpa careret. quod affectus ex corpore mortales naſcerentur: primum quidem ipſi Senſus; deinde Voluptas & Dolor, Metus & Ira. Quibus qui imperarent, nec ſe ab his uinci paterentur, eos iuſtè uicturos, & ad aſtrum ſibi cognatum reuerſuros: euictos uerò ab iniuſtitia, ſecundo ortu in uitam fœminæ migraturos. in qua, qui peccandi finem non faciet, eum tandem in ferarum naturam migraturum. Finis uero ipſis laborum erit, cum innatos affectus uicerint, & ad proprium habitum redierint.

De corporis humani compoſitione, & Animo in cerebro conſtituti principatu. tum de partium, & ſimilariũ & diſsimilariũ conformatione & officio.

CAP. XIIII.

DII autem imprimis, hominem ex terra, igne, aere & aqua efformauerunt; quaſdam partes quæ aliquando redderentur, ab illis mutuati: easq; occultis uinculis componentes

ponentes, corpus unum ex omnibus confecerunt. Ac eius Animi, qui è cœlo demissus, principatum, in capite collocarunt; cerebrum ei subijcientes, tanquam agrum prius excultum. atq; circa faciem posuerunt instrumenta ad sensuum functiones accommodata. Ex leuibus autem & sine inflexione triangulis, ex quibus Elementa fuerunt conformata, medullam composuerunt, ipsius seminis futuram originem. Os uero, ex medulla atq; terra, irigatis, cerebroq; in igne & aqua quasi confectis. Neruos ex osse & carne. Caro uero procreata est ex salso & acuto, quasi quodam fermento. Medullæ, ossa circumposuerunt; & oßibus, coniunctionis gratia, neruos adiecerunt: ut per hos faciles essent inflexiones & articulorum coniunctiones. Quibus ipsa caro est pro uelamento, eaq; pro corporis usu & commoditate partim alba, partim nigra. At ex his interna uiscera existunt inuoluta, uenterq; & circa hunc intestina conuoluta. Ad superiores uero partes, ab ore, arteria & gula; hæc quidem in stomachum; illa, in pulmones delata. Porro, cibi in uentre, calore, spirituq; conficiuntur & emolliuntur: indeq; in uniuersum corpus distribuuntur, secundum proprias cuiusq; mutationes. Duæ autem uenæ iuxta spinam euntes, sibi inuicem obuiæ, caput contrario modo complicant, inde in multas partes finduntur. Cum igitur Dij hominem effinxissent, atq; Animum, corpore, cui erat imperaturus, induissent; eius par-

tem principem, cuius est Ratio, in capite collocarunt. Hinc medullæ, neruorumq; principia atq; pro uarijs læsionibus, mentis ab alienationes. capitiq; circumpositis Sensibus, tanquam satellitibus, Animi principatum, uimq; ratiocinandi in eo posuerunt; itemq; uim contemplandi, & iudicandi. Partem uerò alteram, in qua motus existunt, loco inferiore: irascendi quidem in corde; concupiscendi uerò, circa abdomen, & eas partes quæ umbilico adiacent. De quibus postea dissseretur.

De quinq; Sensuum exteriorum ratione & obiectis: de somno, vigilijs & insomnijs; & de tactilium qualitatum differentijs.

CAP. XV.



VM autem luciferos oculos circa faciem collocassent; in ijs lucidum ignem incluserunt. qui, quia leuis est & crassus, eundem diurni luminis germanum esse oportere existimauerunt. Atq; hic sanè cum per totum quidem oculum, tum maximè per pupillam erumpit, qui est omnium purißimus & ualde syncerus. qui cum externo consentiens, similis cum simili, uidendi sensum præstat. Quare, cum lumen noctu euanescit uel obscuratur, interior ignis non amplius à nobis cum pro-

ximo aere coniungitur; sed ad interiora receptus, eos motus qui in nobis sunt, adæquat atq; diffundit, somni irritamentum inducens: unde & palpebræ clauduntur. At in maxima requie, somni ferè insomniorum sunt expertes. Relictis autem quibusdam motionibus, uisis frequentibus exercemur. Atq; has quidem uisiones siue uerè, siue falsò, directè natas, sic constitui. Quæ uerò sequuntur in speculis alijsq; corporibus pellucidis ac leuibus imaginum figurationes, eas non aliter quàm per reflexionem existere. Pro uaria enim figura extremitatis, concauæ, uel conuexæ, in speculo diuersæ imagines apparebunt; ex diuersa reflexione luminum ad alias atq; alias partes: quæ in conuexis quidem resiliunt; in concauis autem coëunt. Sic enim in quibusdam dextra atq; sinistra contrario modo apparent. similiter autem in alijs, quæ inferiora, ea superiora, & contrà. Auditus uerò ad uocis perceptionē datus est. Exoriens enim ab ea agitatione quæ circa caput contingit, ad hepatis sedem desinit. Vox autem ea, quæ per aures influens perq; cerebrum et sanguinem, in animum percussum transfunditur: acuta quidem, quæ mouetur celeriter: grauis, quæ tardè: magna, quæ multa; parua, quæ pauca. His est autem consequens narium facultas, ad odorū sensum constituta. Odor uerò est affectio è narium uenulis, usq; ad ea loca quæ circa umbilicū sunt, defluens. cuius species suis nominib. expressæ nō sunt, præter duas maximè communes, fragrantis odoris &

grauco-

graueolentis; quæ suauis & fœtidi appellationem habent. Omnem uero odorem, aere craßiorem esse, aqua tenuiorem. quoniam genus odoris in ijs merito dicitur existere, quæ nondum perfectam mutationē, susceperunt: sed cum aere & aqua, communionem quandam habent. Talia uerò sunt quæ ad fumum & caliginem accedunt. His in seinuicem transeuntibus, sensus odoratus perficitur. Gustatum uero, uariorum admodum saporum iudicem, Dij constituerunt, ab illo, ad cordis sedem perductis uenulis; quæ probatrices essent saporum & diiudicatrices. Hæ enim dum colliguntur & distrahuntur, prout sapores occurrunt, definiunt eam quæ in his est uarietatem. Sunt autem saporum differentiæ septem: Dulcis, Acutus, Acerbus, Austerus, Salsus, Acer, Amarus. In quibus dulcis, reliquis omnibus contrariam habet naturam, humorem circa linguam familiariter diffundentem: reliquis partim perturbantibus atq; proritantibus, quales acuti: alijs calefacientibus, & ad superiora euolantibus, quales acres: alijs ualde abstergentibus, abstergendoq; liquefacientibus, quales amari: alijs sensim purgantibus & abstergentibus, quales salsi. ex alijs uero meatus obstruentibus, qui id asperius faciunt, acerbi: qui leuius, austeri esse dicuntur. Tangendi uero facultatem à Dijs constitutam ad suscipiendas & diiudicandas calidorum ac frigidorum, mollium & durorum, leuium & grauium, politorum & asperorum differentias, &

eas

eas quæ illis insunt. Cedentia quidem dicimus quæ tactum recipiunt: retinentia, quæ illi minimè cedunt. Hoc autem secundum corporum ipsorum bases contingit. Quæ enim illas amplas habent, hæc stabilia sunt & firma. quæ his angustis innituntur, cedentia sunt & mollia, eademq; facilè mutationem subeuntia. Asperum autem sit, quod cum duritie coniunctam habet inæqualitatem: politum, quod æquabile est & densum. Cum uerò caloris & frigoris affectiones sint maximè contrariæ; hæ, ex contrarijs causis oriuntur. Nam quod acumine partium & asperitate discindit, id calidam gignit affectionem: frigus autem quod ingressu densius. Dum tenuia expelluntur, & in illorum locum alia coguntur, tunc sanè concußio quædam & tremor exoritur: indeq; in corporibus qui nascitur affectus, rigor existit. Graue autem & leue, ratione superioris & inferioris loci nequaquam definienda sunt. Quoniam nihil est sursum aut deorsum. Nam cum cœlum omnino rotundum sit & accuratè in superficie sua conuexa æquabile, non aptè quosdam, in illo, hoc superius, illud inferius nominare. Verum id quidē graue esse, quod non nisi magna ui in locum à sua natura alienum trahitur: leue uerò, quod facile. Adhæc, graue quidem, quod ex pluribus partibus concretum est, leue quod ex paucißimis.

De mo-

De modo & usu Respirationis: de hinc de morborum, præcipuè febrilium, causis.

CAP. XVI.



Espiramus verò hoc modo. Ambit nos quidem externus aer multus. Hic autem per os & nares, aliosq; corporis meatus ratione cognitos, in interiores partes influit. in quibus calefactus, ad externum cognatumq; refluere nititur. Qua uerò ex parte effluxerit, externum aerem rursus in interiora coercet. atq; eiusmodi circulo sine intermißione, Inspiratio & Exspiratio perficitur. Morborum autem causas multas esse docuit. Primum quidem, Elementorum defectum & excessum, eorumq; transmutationē in ea loca quæ naturæ minimé conuenientia: deinde præposteram cognatorū originem, ut si ex carne fieret sanguis, aut bilis, aut pituita. hæc enim omnia nihil aliud esse quam colliquationem. Pituitam quidem, recentem carnis colliquationem. Sudorem uerò & lachrymas, quasi serum ex pituita. Pituitam autem in externis partibus interceptam, inducere uitiliginem. at in interioribus, cum atra bile permixtam, sacri morbi causam esse. eandem acutam & salsam, eos affectus gignere, qui in rigore contingunt. Omnia autem ardentia corpora à

ra à bile hoc patiuntur. Innumerabilis enim affectus & multiformes, bilis & pituita pariunt. Febrem quidem continuam, igne suum modum exuperante: quotidianam, aere: tertianam aqua: quartanam terra. Sequitur ut de animo disseramus, oratione hinc repetita. Etsi in eundem sermonem relapsi, superiora fortasse reperire uideamur.

Tres Animi partes in homine, primum origine, deinde sedibus distinguuntur: earumq́; distinctio varijs rationibus ex Platone confirmatur.

CAP. XVII.



UM humanum animum immortalem (sicut postea demonstrabimus) mortalium generum formatores Dij, à Deo primo accepissent, ei partes duas mortales adiunxerunt. Quare ne uis animi diuina atq; immortalis, mortali fatuitate impleretur: illam, cum ad imperandum instituissent, in summa corporis arce collocarunt, ac eius domicilium in capite esse uoluerunt: quod sua figura ipsi uniuersitati est simillimum. Huic autem aliud corpus, ad obsequium, quasi uehiculum subiecerunt. Quin & duabus partibus mortalibus singulis suas sedes distinctas dederunt. Irascenti quidem

quidem in corde; Concupiscenti uero in parte media inter umbilicum & septum transuersum: his illam uincientes, quasi aculeo punctam & feram belluam. Pulmonem autem conformarunt cordis gratia, mollem & exanguem, fistulosum & spongiæ similem: ut ab illo cor temperaretur iræ ardore exæstuans. At iecur ad excitandam partem animi concupiscentem, eandemq; sedandam, dulcedinis & amaritudinis particeps: atq; ad eam diuinationem illustrandam quæ per somnia contingit. In eo enim propter leuorem atq; nitorem uim à mente manantem relucere. Lienem, iecoris gratia: ut hoc repurget nitidumq; reddat. ideoq; corruptiones eas, quæ ex quibusdam morbis circa hepar nascuntur, in ipsum recipi. Triplicem autem esse animum, eiusq; partes secundum facultates atq; rationes, suis locis esse distinctas, ex his perspici potest. Imprimis quæ natura distinguuntur, ipsa quoq; diuersa sunt. Natura uero distinguuntur paßiuum, & ratiocinatiuum: quorum hoc quidem circa intelligibilia uersatur; illud uero, circa tristia & iucunda. Atq; etiam præterea paßiuum alijs quoq; animalibus inest. Cum uero, duo hæc, natura diuersa sunt: debent quoq; locis ac sedibus separari. Quoniam plerunq; inter se sunt dissidentia atq; pugnantia. Nihil uero secum pugnare potest; neq; inter se contraria, circa idem, eodem tempore possunt consistere. at in Medea, iram cum ratione pugnantem licet animaduertere. Hæc enim

eius

eius uerba sunt, Intelligo quæ factura sum, esse mala; ira tamen consilium superat. Itemq; in ipso Laio Chrysippum rapiente, Concupiscentiæ Ratio aduersatur. Sic enim inquit, Heu, Heu, diuinum hominibus malum, quando quis bonum nouerit, nec tamen eo utatur. Adhæc etiam, diuersum esse passiuum à Ratiocinatiuo, ex eo potest intelligi: quod huius & illius diuersa cura sit: huius quidem in doctrina, illius in uitæ & morum consuetudine.

Argumenta varia ex vniuersa Platonis doctrina colliguntur, quibus confirmatur immortalitas eius partis Animi, quæ in cerebro locum habens, principium est Rationis & Intelligentiæ.

CAPVT. XVIII.



Nimum autem immortalem esse, in hunc modum declarat. Animus cuicunq; aduenerit, huic uitam affert; quasi hanc sibi habeat insitam. Quod uerò alicui uitam affert, mortis capax non est. Tale autem quicquid est, hoc immortale. Si autem immortalis est Animus, interitus quoq;

est expers. Incorporea enim est essentia, quæ naturæ suæ existentiæ immutabilis: eaq́; intelligibilis, ac semper unius modi. Igitur & compositionis expers est, neq; dissolui potest, neq; dißipari. Corpus autem quoduis, contra, sensile est, aspectabile, dißipabile, concretum, multiforme. Etenim Animus, per corpus, sensili adhærens, uertigine tentatur, turbatur, quasiq́; inebriatur. Ipse autem intelligibili secundum se adhærens, consistit atq́; quiescit. Ei uerò similis esse non potest, cui adhærens conturbatur. Itaq́; illi intelligibili similior est. Intelligibile autem natura est indißipabile atq́; interitus expers. Quoniam, Animus secundum naturam præest & imperat. Diuinitati autem simile est id quod suapte natura principatum obtinet. Quare Animus diuinitati similis, neq́; poterit interire, neq́; corrumpi. Contraria immediata, non secundum seipsa; sed aduentitia tantum ui, ex se inuicem oriuntur, & fiunt: id autem quod homines uocant uiuere, cum contrarium sit ei, quod est mori; quemadmodum mors, separatio est animi à corpore; sic & uita, congressio animi (qui scilicet ante fuerat) & corporis erit. Qui si erit post mortem, & fuit prius quàm cum corpore coniungeretur; rationi ualdè consentaneum est, eundem sempiternum fore. quoniam nihil amplius excogitari potest, cuius ui corrumpatur. Siq́; disciplina recordatio quædam est; immortalem esse Animum necesse est. Esse uerò disciplinam recorda-

corda-

cordationem, his rationibus indicemus. Neq; enim aliter disciplina potest consistere, quam per recordationem eorum quæ sunt olim cognita. Nam si ex singulis, uniuersa intelligimus; quonam pacto per singula, quæ infinita sunt, discurremus? aut ex paucis, uniuersa percipiemus? Fallemur enim perinde, ac si iudicaremus, id solum animal esse, quod respirat. Vel quomodo notiones rationem principiorum obtinebunt? Recordando igitur intelligimus, ex paucis mente conceptis: à quibus singillatim incidentibus, in eorum recordationem uenimus, quæ prius quidem noueramus; sed ea deleuerat opinio, à corporis contagione profecta. Præterea, Animus à proprio uitio, minimè corrumpitur. Nequaquam igitur ab alieno: neq; omnino ab alio. Cum autem sit eiusmodi, corrumpi nullo modo poterit. Item, quod à se ipso suaq; ui mouetur; quia in ijs quæ mouentur, principij rationem habet, semper mouetur. Quod autem tale; idem quoq; est immortale. Animus uerò à seipso mouetur; & quod à seipso mouetur, motionis omnis & ortus est principium.

Principium autem ingenitum, ut interitus expers. Quare animus uniuersi talis erit; atq; etiam humanus; cum uterq;, eiusdem mixtionis sit particeps, A se autem mobilem Animum esse ait; quod innatam uitam habeat, semper sua ui operantem. Animos autem rationis participes im-

mortales esse, ex huius uiri sententia licet confirmare. Vtrum uerò etiam rationis expertes, hoc ex ijs est, quæ in controuersiam cadunt. Probabile tamen est, rationis expertes, sola imaginatione ductos, neq; ratione, neq; iudicio utentes, neq; perceptis, neq; horum collectione, neq; ratiocinando deductis sumtionibus uniuersis, omnino autem mentis expertes, & non intelligente natura præditos; non esse eiusdem essentiæ, cum ijs, qui ratione utuntur; ideoq; illos mortales esse, & interitui obnoxios. Hac igitur ratione cum sint immortales Animi; consequens est, eos corpora subire, adhærentes naturis quæ fœtuum sunt conformatrices, eosq; in multa corpora, nec in humana tantum, transmigrare, ad numeros temporum manentes, uel uoluntate Deorum, uel propter uitæ intemperantiam, aut corporis amorem: Mutua enim quædam est inter, corpus & Animum cognatio, qualis inter ignem & bitumen cernitur. Atq; Deorum quidem Animus, adeptus est facultatem diiudicandi, quæ cognoscendi dici potest: itemq; ad agendum impellendi & incitandi; atq; etiam conciliandi. Quæ omnes facultates, cum insint quoq; humanis Animis, postquam in corpora demersi sunt, sic permutantur: uis quidem conciliandi in eam quæ concupiscendi est; impellendi autem ad agendum, in alteram, quæ irascendi.

De Fa-

De Fato & Arbitrij libertate.

CAP. XIX.



E Fato talia quædam illi placent. Omnia quidem in Fato esse ait: non omnia tamen Fato esse definita. Fatum enim instar legis nequaquam dicit; Hic, illa faciet; ille uerò, hæc patietur (hoc enim in infinitum abiret; cum infiniti sint qui nascuntur, & infinita quæ his accidunt: periret quoq; quod in nobis situm esse dicitur; omnesq; laudes & uituperationes, quæq; his proxima sunt, tollerentur) sed quod, si Animus uitam eiusmodi delegerit, atq; talia fecerit; hæc illum consequentur. Liber ergo Animus est, atq; in eius potestate situm, illa agere, uel non agere: nec ad ea ulla necessitate cogitur. Quod autem in illo ordine sequitur, id Fato perficietur. Veluti ex eo, quod Paris Helenam rapiet (quod quidem illi erat liberum) consequens erit, ut Græci, pro Helena, aduersus Troianos bellum gerant. Sic quoq;, &, quod Apollo, ipsi Laio prædixit, Si genueris filium, natus ipse te perimet; in connexione continentur, & Laius, & filij procreatio. At quod ex ijs est consequens, id Fato definitum. Eius autem quod fieri posse dicitur, natura, inter uerum & falsum media incidit; eaq; ex se indefinita: in qua, tanquam uehiculo, fertur id quod in nobis

situm est. Quod cum nobis eligentibus factum fuerit, uerum & falsum erit. Quod autem facultate est, ab eo differt quod secundum habitum, & quod secundum functionem muneris dicitur. Quod enim est facultate, id aptitudinem quandam declarat, in eo, in quo habitus nondum conformatus. Quemadmodum puer, facultate grammaticus, & tibicen & faber, appellabitur. Tum uerò in habitu unius horum, aut duorum, aut trium erit, cum didicerit, istorumq; habitum sibi conformauerit. In actu uerò erit & muneris functione; cum in operando, illo habitu conformato dirigetur. At quod poßibile dicitur, nihil horum est. Indeterminatum autem est, quod in nostra potestate sitũ, in utramq; partẽ pari momento propensum, modò uerum est, modo falsum.

In tertia Philosophiæ parte, de vita & moribus, initium ducit à fœlicitate, & in quibus illa consistat ex Platone demonstrat.

CAP. XX.

DEinceps verò summatim colligenda ea, quæ ab illo dicta sunt de moribus. Illud quidem Bonum, quod dignißimum est & maximum, nec facile inueniri posse putabat; nec cum inuentum esset,

esset, tutum esse in uulgus efferre. Ideoq; de notis paucos, eosq; de quibus antea iudicasset, huius auscultationis de summo bono, participes fecit. Nostrum quidem Bonum, si quis diligenter eius scripta repetat, ponebat in scientia & contemplatione primi boni: quod quidem & Deum & primam Mentem, possit quis appellare. Omnia enim, quæ quacunq; ratione ab hominibus numerantur in bonis; ea, hoc nomine in illis haberi uolebat, quod aliquo modo, ipso primo dignissimoq; bono participent. Quemadmodum dulcia atq; calida, quadam primorum participatione, eiusmodi appellationem sortiuntur. Ex ijs uerò quæ in nobis sunt, solam Mentem atq; Rationem, cum ipso bono similitudinem quandam retinere. Quamobrem bonum nostrum, Pulchrum, Augustum, Diuinum, Amabile, Commensuratum, & diuinis alijs nominibus appellatum. Eorum autem, quæ uulgo dicuntur Bona; cuiusmodi sunt sanitas, pulchritudo, robur, diuitiæ & his similia; nihil esse omnino, nisi in usum Virtutis inciderint. Separata enim ab hac, materiæ tantum conditionem obtinere: in malum uero cedere, abutentibus. Interdum etiam hæc caduca, Bona nominauit. Fœlicitatem autem in bonis humanis non censebat esse: sed in diuinis atq; beatis. Quare Philosophorum animos reuera magnis & admirandis abundare ait; & à corpore separatos Deorum consuetudine atq; mensa frui, cum illis habitantes & Veritatis campum

 perlu-

perlustrantes, Quoniam in uita, illius cognitionem expetiuerunt; eiusdemq; studium, omnibus alijs posthabitis coluerunt. Cuius beneficio, cum illi repurgarint atq; recrearint animi quasi oculum (qui extinguebatur & excæcabatur dignior tamen conseruatione innumeris oculis) ad Vniuersi, quod ratione præditum est, naturam comprehendendã, apti effici potuerunt. Amentes enim, his similes esse, qui in subterranea spelunca uitam degentes, splendidum lumen nunquam intuiti, cum tenues quasdam umbras eorum corporum quæ apud nos sunt, uident; arbitrantur, se ea quæ sunt, apertè uidere. Vt enim, hos, si quando datum sit è tenebris in lucem prodire, credibilia est illa omnia, quæ antea uiderant contemturos, ac se ipsos multo magis, quasi fuerint delusi: sic & eos, qui ex huius uitæ densa caligine, ad ea quæ uerè diuina sunt & pulchra, se conferunt; rationi congruum est, ea, quæ quondam admirati sunt, aspernaturos, ardentioremq; in illis contemplationis diuinorum atq; pulchrorum cupiditatem futuram. Quibus etiam consentaneum est dicere, ipsum honestum solùm, esse bonum: atq; Virtutem, ad beatam uitam se ipsa esse contentam. Quare Bonum & Pulchrum in scientia primi consistere, & honestum esse, per omnes libros à Platone est declaratum. De ijs autem quæ per participationem bona, sic in primo de Legibus. Duplicia bona sunt; quædam humana; alia uero diuina, & cætera.

tera. Si quid uerò à primo ſecretum eſt, & eius eſſentiæ expers, idq; ab hominibus qui ſine mente ſunt, & intelligentia, Bonum appellatur; hoc in Euthydemo, habenti maius malum eſſe ait. Ac quod Virtutes, per ſe ipſas expetendas putet, ſumendum eſt quaſi ex eo conſequens, quod ipſe exiſtimauerit, id quod honeſtum eſt ſolum eſſe bonum: idq; cum plurimis locis demonſtrauerit, cum maxime in tota Repub. Eum enim, qui prædictam ſcientiam ſit adeptus, fœliciſſimum eſſe atq; beatiſſimum: non honorum cauſa (quos, qui talis erit, conſequetur) neq; propter præmia uerum etiam ſi omnes homines lateat; & ſi ea illi contingant quæ uulgo putantur mala, infamiæ, exilia, mors. At uerò eum qui hac ſcientia caret, etiamſi cuncta poſſideat quæ putantur bona, uti diuitias, ampla regna, corporis ſanitatem, robur & formam; nihilo magis eſſe beatum. Quibus omnibus conſentientem finem in eo ponebat, ut homines, quo ad poſſent, Deo ſimiles efficerentur. Variè autem hoc explicat. Interdum enim ſimilem Deo dicit prudentem, iuſtum & ſanctum; quemadmodum in Theæteto. Quare enitendum eſſe, ut hinc, ad illa quàm citiſſimè confugiamus: fugam uerò conſiſtere in ſimilitudine cum Deo, quo ad fieri poteſt: ſimilitudinem autem in Prudentia, Iuſtitia, Sanctitate. nonnunquam etiam in ſola iuſtitia; ut poſtremo libro de Repub. Neq; enim unquam à Dijs deſpicitur qui conatur iuſtus euadere: & qui uirtutis offitio, ſeſe,

prout homini datum est, Deo similem reddit. In Phædone uerò, Deo similem effici uult temperantem simul & iustum, hoc modo. Nonne fœlicißimi, inquit, & beati sunt, & in optimum locum migrant, qui popularem ciuilemq; uirtutem quam Temperantiam & Iustitiam uocant, exercuerunt? Interdum igitur uitæ finem esse dicit, Deo similem fieri: alias autem, Deum sequi: ut cum inquit; Deus profectò, ut antiquus sermo testatur, principium finemq; & medium rerum omnium obtinens, recta ratione omnia perficit. quem Iustitia semper comitatur, uindex eorum qui à diuina lege deficiunt; cui sua sponte se subijciens is qui beatus futurus est, demissus obtemperat. Nonnunquam hæc duo coniungit; ut cum ait, Animum Deum sequentem, atq; huic similem factum, & cætera. Etenim utilitatis principium ipsum bonum: hoc autem ex Deo dicitur. Consentiens ergo principio finis erit, Deo similem effici: Deo inquam, cœlesti; aut per Iouem, supercœlesti: quiq; uirtutem non habet, sed hac præstantior est. Quapropter rectè quisquam dixerit, κακοδαιμονίαν, id est, infœlicitatem, Dæmonis siue Genij peruersitatem esse: εὐδαιμονίαν uerò, id est fœlicitatem, bonum Demonis habitum. Consequemur autem, ut Deo similes efficiamur, si natura conueniente formamur, moribusq; educatione & sensu, secundum legem: maximeq; ratione & disciplina, præceptorumq; traditione. Ita ut ab humanis negotijs ut plurimum men-

tem

tem duocemus, ſemper in intelligibilia ipſa contemplatione defixi. Præparationes uerò, & purgationes eius Dæmonis qui in nobis eſt, ſi ſuperioribus diſciplinis initiemur: quales ſunt Muſica, Arithmetica, Aſtronomia, atq; Geometria: addita etiam corporis cura per Gymaſticam, qua ad obeunda pacis & belli munera, noſtra corpora melius afficiemur.

Virtutum Diuiſio, & mutua connexio.

CAP XXI.



VM igitur Virtus, res diuina ſit; ipſa quidem affectio eſt Animi perfecta & optima, hominem exornans eundemq; firmum & aptū reddens ad dicendum & agendum: ſiue ipſe ſecum habitet, ſiue cum alijs uerſetur. Atq; inter huius ſpecies, quædam rationis eſſe dicuntur; aliæ, in parte rationis expertc uerſari. Cum enim differant inter ſe, Rationale, Iraſcibile, & Concupiſcibile; horum etiam diuerſa erit & ſua cuiuſq; perfectio. Rationalis quidem, Prudentia: Iraſcibilis, Fortitudo: Concupiſcibilis, Temperantia. Prudentia uerò, ſcientia eſt bonorum, malorum atq; neutrorum. Temperantia, ordo in cupiditatibus & appetitionibus, cum hæ rationi uel duci obtemperant.

Quan-

Quando autem dicimus, Temperantiam ordinem esse quendam & obedientiam: id sanè intelligi uolumus, facultatem quandam esse, per quam appetitiones apto ordine se ei subijciunt, quod natura debet dominari. hoc autem est quod Rationis est particeps. Fortitudo, est legitima præcepti, ardui & non ardui obseruatio: id est, facultas conseruatrix præcepti legitimi. Iustitia uerò, consentio quædam inter se, siue facultas, per quam tres animi partes inter se conueniunt, harumq; unaquaq; ei adhæret quod proprium habet in quo uersetur & suum cuiq; pro dignitate statuit: quasi hæc summa sit perfectio trium uirtutum, Prudentiæ, Fortitudinis, Temperantiæ; Ratione imperante, reliquis partibus Animi, secundum suam proprietatem contractis eiq; obedientibus. Vnde existimandum Virtutes sese mutuo consequi. Fortitudo enim, præcepti legitimi conseruatrix, Rationis etiam rectæ conseruatrix est. quoniam præceptum legitimum recta quædam Ratio est. Recta autem Ratio, à Prudentia proficiscitur. Quin etiam Prudentia, cum Fortitudine cohæret. Illa enim, scientia bonorum est. Nemo autem id quod bonum est uidere potest, dum timiditate & perturbationibus cum hac coniunctis, impeditur. Eademq; ratione, nemo cum intemperantia prudens potest existere. Atq; omnino, quicunq; perturbatione uictus, præter rationem aliquid facit; id per imprudentiam & inscitiam pati à Platone dicitur.

tur. ut nemo poßit Prudentiam habere, ſi intemperans ſit & timidus. Sunt igitur uirtutes connexæ: nec ſeparari poſſunt, ſi perfectæ ſunt.

Virtutum ſeminaria à perfectis Virtutibus de quibus dictum eſt, diſtinguit: deinde virtutes cum vitijs inter ſe comparat.

CAP. XXII.


Icuntur enim & alio modo Virtutes, ut naturæ dotes & progreßiones ad illas: quæ propter ſimilitudinem, cum eiſdem ſolius nominis communionem habent. Sicq; milites fortes nonnunquam appellamus, nonnulloſq; prudentiæ expertes, etiam fortes prædicamus, non de perfectis uirtutibus loquentes. Hæ autem, perfectæ ſcilicet, neq; intenduntur, neq; remittuntur; cum uitia intendantur & remittantur. ſi quidem alius alio imprudentior eſt & iniuſtior. Nec ſeſe uitia conſequuntur: quoniam quædam ſunt inter ſe contraria: quæ eidem non conueniunt. quomodo ſe habet, ad timiditatem, audatia; & ad auaritiam, profuſa largitio. Neq; uerò quiſquam exiſtere poteſt, qui uitijs omnibus ſit infectus: quemadmodum

neq;

neq; corpus ullum omnibus morbis simul affectum, aut modis omnibus deformatum. Admittenda etiam est media constitutio, neq; praua, neq; cum uirtute coniuncta. Quoniam non omnes homines probos, uel improbos esse necesse est: sed eiusmodi sunt, qui iam ad summum horum peruenerunt. Neq; facile est à uitio ad uirtutem recta regredi: quia extrema longo interuallo, magnaq; contrarietate à se inuicem seiuncta sunt. Existimandum autem est de uirtutibus, quasdam esse principes & antecedentes; alias, harum comites. Principes sunt, in parte Animi rationali: à quibus reliquæ perfectionem capiunt: comites uerò, in altera quæ perturbationibus est obnoxia. Hæ enim honesta sequuntur secundum rationem, non quæ in ipsis est (non enim eam habent) sed quam à Prudentia capiunt, quæ in illis consuetudine & exercitatione est confirmata. Et quoniam neq; Scientia, neq; Ars, in alia parte Animi est, quàm in Rationali; Virtutes, quæ in altera Animi parte perturbationibus obnoxia, existunt, doceri nullo modo possunt. quia neq; Artes sunt, neq; Scientiæ. Non enim propriam præceptionem habent. At Prudentia, cum Scientia quædam sit; ea quæ cuiq; propria sunt, præscribit. quemadmodum Gubernator, nautas docet ea quæ ignorantur ab ipsis. hi uerò illi parent. Eademq; ratio in milite, & in Imperatore ualet. Vitia autem cum intendantur & remittantur, peccata paria non erunt: sed quædam maiora, alia minora.

minora. Quibus hoc consentaneum est, ut his à legumlatoribus supplicia quædam grauiora, alia leuiora decernantur. Quanquam uero uirtutes extremitates sint, quia perfectæ & recto similes; alio tamen modo mediocritates erunt. quod omnes, uel certè plurimæ in medio duorum uitiorum sitæ sint: quorum unum est in excessu; alterum in defectu: ut in liberalitate, hinc auaritia; altera ex parte, profusa largitio cernitur. In perturbationibus enim, discessus à modo accidit, aut secundum excessum, aut secundum defectum. Neq; uero qui, cum parentes iniuriam patiuntur, non irascitur; neq; qui in omnibus, & quacunq; occasione concitatur, moderatus est: sed omnino uterq; modo discedit. Rursus, qui parentibus uita functis, nihil commouetur: affectu caret. qui uero ita luget, ut contabescat; affectus modum excedit. at qui mæret quidem, sed moderatè; is moderaté affectus dicitur. Sic certè qui omnia timet, & præter modum, is timidus est; qui nihil, audax. Fortis uero, qui in confidendo atq; metuendo modū seruat. Quorum in cæteris eadem est ratio. Atq;, quoniam quod moderatùm est in perturbationibus, idem optimum: non aliud autem est moderatum, quàm quod medium inter nimium & parum; idcirco mediocritates eiusmodi virtutes existunt.

quod in perturbationibus medio quodam modo afficiant.

Virtu-

Virtutes voluntarias esse, vitia inuoluntaria: peccatis tamen, quæ ab his proficiscuntur rectè supplicia decerni; hæcq; inter se inæqualia.

CAP. XXIII.



Voniam verò si quid aliud in nobis est, & quod alterius imperio non teneatur, eiusmodi sané virtus est (non enim quod honestum, laudabile esset, si uel natura uel diuina sorte contingeret) hæc erit uoluntaria, nata ex impulsione quadam flagrante, generosa atq; permanente. Ex eo igitur quod Virtus est uoluntaria, efficitur, uitium inuoluntarium esse. Quis enim uolens, in parte sui pulcherrima & præstantißima, eligat quod malorum omnium est maximum? At si quis in uitium ruit, non tanquam in uitium ipsum ruet; sed tanquam in bonum. Si quis autem accedit ad uitium, in eo omnino decipitur; quod hac uia, per minus quoddam malum, ad aliquod maius bonum aspirat: atq; hoc pacto inuoluntariè accedit. Neq; enim fieri potest, ut quis ruat in mala, eo animo ut hæc habeat: non spe aliqua boni, neq; metu maioris mali.

mali. Et ſanè, omnia, quæ improbus iniuſtè agit, inuoluntaria ſunt. Nam cum iniuſtitia, inuoluntaria ſit: multo magis iniuſtè agere inuoluntarium erit: quo ſcilicet deterior eſt operatio ipſius iniuſtitiæ, eiuſdem ſolo habitu. Quanquam uero iniuriæ, inuoluntariæ ſunt: decernenda tamen in eos qui iniuriam inferunt, ſupplicia; hæcq; inter ſe differentia: quoniam & ipſæ noxæ ſunt differentes. Atq; inuoluntarium, in ignoratione quadam; uel in perturbatione conſiſtit. Omnia autem talia, licet repellere, ratione & conſuetudine ciuili, atq; diligentia. Tantum uero malum iniuria eſt, ut ferenda potius ea ſit quam inferenda. Hoc enim, peruerſi eſt; illud infirmi. Malum quidem utrumq;: inferre tamen iniuriam eo deterius eſt, quo turpius. Prodeſt autem ei qui intulit, iniuriæ pœnas dare: ut & ægrotanti, corpus, Medico curandum committere. Omnis enim caſtigatio, peccantis Animi medicina quædam eſt.

Affectuum Definitio & Diuiſio.

CAP XXIIII.



Voniam verò, Virtutes quam plurimæ circa affectus uerſantur; quales hi, & quid ſint, nobis conſtituendum. Eſt igitur motus animi

mi rationis expers, ut ex bono quodam, aut ut ex malo natus. Rationis uerò expers motus ideo dictus est; quia affectus, nec iustitia sunt, nec opiniones: sed partium Animi, quæ rationis expertes sunt, quidam motus. In parte Animi, in qua perturbationes, nostra quidem opera sunt, non tamen illæ in nostra potestate. Non igitur à nostra uoluntate perficiuntur: imò pleruncq; hanc repugnantem habent. quoniam interdum accidit, ut etiam si cognoscamus ea quæ inciderunt, neq; tristia esse, neq; iucunda, sed nec terribilia; trahamur ab illis nihilominus. quod certe non accideret, si perturbationes essent iuditia. quandoquidem iuditia respicimus, hæc eadem improbantes, siue ita facto opus est, siue minimè. Addidimus uerò, Vt ex bono, uel ut ex malo; quia ex eo quod inter illa medium uel indifferens apparet, nullus motus in nobis concitatur: sed omnes ex boni uel mali aliqua specie existunt. Bonum enim si adesse opinati fuerimus, uoluptate profundimur: si autem affore, concupiscimus. Atq; cum malum adesse opinamur, dolemus: sin autem futurum, metuimus. Affectus uerò omnium primi & simplices aliorumq; quasi Elementa, duo sunt; Voluptas & Dolor. Reliqui, ex his oriuntur. Neq; in ijs Timor & Cupiditas quasi simplices principesq; motus numerandi. Quoniam qui metuit, non omnino uoluptate priuatus est. quippe, qui

qui ne ad breuißimum quidem tempus durare poßit, nullam penitus mali liberationem uel leuationem expectans. Magis tamen est in dolore atq; molestia: atq; idcirco cum aliqua spe est coniunctus. Qui uerò cupit; consequendi spe delectatur. Quia autem hanc non satis firmam habet, angitur. Cum uerò Cupiditas & Metus, non sint motus primarij; manifestum est, nullum quoq; reliquorum in affectibus simplicibus debere uumerari. iram dico, desiderium, æmulationem, cæterosq; motus eiusmodi. In ijs enim sentiuntur Voluptas & Dolor; quasi horum permixtione constent. De Affectibus autem, quidam, efferati sunt; alij mitiores. Mites quidem, quicunq; secundum naturam homini insunt. Hi enim necessarij & familiares. Sic uerò se habebunt quandiu moderati. peccabunt autem, cum erumpentes, modum excedent. Eiusmodi uerò sunt, Voluptas, Dolor, Ira, Misericordia, Verecundia. Familiare enim est ijs quæ secundum naturam sunt, delectari; contrarijs uerò, dolere. Et ira quidem ad propulsandos & ulciscendos inimicos necessaria est. Misericordia, humanitatis est propria. Verecundia, ad declinationem à rebus turpibus accommodata. Agrestes autem & ferini affectus, præternaturam hominum sunt, ex deprauatione uitæ, peruersaq; consuetudine orti. In quibus insunt, irrisio, in alienis malis oblectatio, & hominũ odium. Qui siue intendantur, siue remittantur, atq;

quouis;modo ſe habeant, ſemper in malis ſunt: quod md iocritatem non recipiant. De Voluptate uero & dolore, hoc Plato ait: eiuſmodi Affectus, ſecundũ naturam quodammodo à principio in nobis concitari: cum triſtitia & dolor accidant his qui præter naturam mouentur: uoluptas autem, in ijs, qui in id reſtituuntur, quod ſecundum naturam eſt. Exiſtimat enim conſtitutionem humanæ naturæ accommodatam, medium quiddam eſſe inter uoluptatem & dolorem: cùm illa in neutro horum eſt. Quo in ſtatu magnam uitæ partem degimus. Docet autem propter quam cauſam multæ ſpecies ſunt uoluptatum, partim quidem ſecundum corpus, partim uero ſecundum Animum. Voluptatum autem, alias miſceri contrarijs; alias, impermixtas puraſq; manere: & has quidem, ex præteritorum recordatione naſci; alias, cum futurorum expectatione concipi: nonnullas quoq; obſcænas, quæ intemperantes & cum iniuria; alias autem moderatas, & quodamodo cum ipſo bono coniunctas; ut gaudium in bonis, & uoluptates, quæ ex uirtutibus percipiuntur. Atq; cum multæ uoluptates, ingenita naturæ proprietate ſint improbæ; nequaquam de his quærendum eſt, Vtrum omnino poßint eſſe in bonis. Languida enim nulliuſq; præcij apparet ea uoluptas, quæ alteri agnaſcitur: nec eſſentiam habet principem aut antecedentem. Cohæret enim cum ſuo contrario:

trario: si quidem cum dolore permiscetur. quod nequaquam contingeret, si horum unum, bonum esset omnino; malum alterum.

De Amicitia.

CAP. XXV.



Micitia, quæ maximè & propriè dicitur, non est alia quam quæ per naturam et reciprocam beneuolentiam constituta. Hæc uero tunc existit; quando uterq; alteri, perinde ac sibi, optimè esse expetit. Ipsa autem æqualitas, haud aliter; quam per similitudinem morum conseruatur. Si quidem simile simili (si modo utrunq; moderatum) amicum est: immoderata uero, neq; inter se, neq; cum moderatis possunt conuenire. Aliæ etiam amicitiæ esse putantur, hæq; uirtutis quadam specie quasi coloratæ; ut naturalis parentum in liberos, & cognatorum inter se; & quæ ciuilis dicitur; & quæ sodalitia. Hæ autem non semper adiunctam habent mutuam beneuolentiam. Eius quoq; species quædam est amatoria. Est autem amatoria, quæ honesta; animi generosi: deprauata, peruersi: media uero, eius qui medio modo est affectus. Quemadmodum igitur triplex est habitus

Animi, in animali quod rationis est particeps; unus quidem, rectus; alter, deprauatus; tertius, inter hos medius: sic tres amatorij affectus specie differentes. Idq́; ita esse, fines horum diuersi declarant. Depreuatus enim, solius corporis, à uoluptate euictus: ideoq́; hic belluarum existit. Honestus, ad solum Animum pertinet: quatenus in hoc, quædam ad uirtutem aptitudo apparet. Medius, utriusq́; est appetens: pulchritudinis scilicet eius, quæ tum animo, tum corpori inest. quo amore, qui dignus est, & ipse medius existit, neq́; deprauatus, neq; omnino honestus. Quare amorem, ut sic dicam, incorporatum, dæmonem potius appellare decet; quàm Deum, nunquam in terrenum corpus demersum; qui diuina ad homines, contraq; humana ad Deos, communiter transmitit. Rursus uerò cum amatorius affectus in tres species sit distributus; boni quidem uiri amor, perturbatione liberatus: artificiosus quodamodo est: ideoq; in ea parte animi consistit, cuius est Ratio. De eo autem quæ præcipi solent, hæc sunt: dignoscere quis amore dignus sit, eundemq́; sibi parare & frui. Dignoscit autem ipsum, ex eius institutis & impulsionibus: si nobiles sunt: si ad id quod honestum est, ferantur; si uehementes; si flagrantes. Parabit autem eum, non lasciuiendo, neq; demulcendo, quem in delitijs sit, habiturus: sed ista potius reprimendo, demonstran-

monstrandoq́;, non esse cur sic affectus uelit uiuere. Cum autem amatum euicerit, ille fructur, ad ea exhortans in quibus exercitatus, erit aliquando perfectus. Finis uerò amantis, & amati erit, fieri amicos.

De speciebus Reipublicæ & ciuium ordinibus.

CAP. XXVI.

DE Rerumpublicarum formis, quasdam esse ait Suppositas, quas libris de Repub. percurrit. In ijs enim, priorem quidem descripsit, bellorum expertem: alteram uerò ardentem & bellicam; in ijs inquirens optimam; & quomodo hæc constituenda. Nonnunquam & secundum animi diuisionem Rempub. in tres partes distribuit, in custodes, propugnatores & opifices. Quorum primis hoc tribuit, ut consulant & imperent: secundis, ut cum opus est, armis Rempublicam tueantur, qui irascendi facultati respondeant; quasi cum ipsa ratione in pugnam incumbentes; postremis, relinquit artes & alias operas. Principes autem uult esse Philosophos, & Primi boni Contemplatores. Hac enim una ratione, eos rectè omnia administraturos: nec unquam

res humanas malis omnibus liberari posse, nisi aut Philosophi regnent, aut qui reges appellantur, diuina quadam sorte uerè philosophentur. Tum uerò futurum, ut optimè atq; iustè ciuitates regantur; cum singulæ earum partes suis legibus uiuent: ita, ut Principes, populo consilium dent: his, Propugnatores seruiant; pro eisdemq; in primis prælientur: hos autem, reliqui obedientes sequantur. Reipub. quinq; formas esse dicit. Primam, Aristocraticam; quando optimates imperant: secundam, Timocraticam; quando ambitiosi regnant: tertiam, Democraticam, siue popularem: quartam, Oligarchicam, siue paucorum potentiam: postremam, Tyrannidem; omnium pessimam. Describit quoq; alias Respublicas ex suppositione, in quibus ea est, quæ libris de legibus instituitur, & quæ aliarum correctionem habet, in Epistolis. Qua, apud eas ciuitates utitur, quas ægrotare dixerat libris de Legibus, iam locum definitum habentes, & homines ex omni ætate delectos: qui secundum naturæ differentias & locorum, disciplina propria egeant, & educatioue, armorumq; tractatione. Qui enim maritimi; nauigationi studeant, & nauali prælio decertent. Qui autem mediterraneam regionem incolunt; ad pedestem pugnam se comparent: ut ad armaturam; leuiorem quidem, qui in locis montosis: ad grauiorem, qui uiuunt in campis. frequentes colles habentibus. Nonnulli; quoq;

corum

eorum, equeſtrem pugnam exerceant. Neq; uerò in hac ciuitate, mulieres communes, ſua lege ſancit. Eſt igitur ciuilis uirtus in contemplando & in agendo poſita: cui propoſitum eſt, ciuitatem bonam beatamq; efficere, & ſibi omni ex parte conſentientem. Eadem, rerum ordinem præſcribit, ſibiq; ſubiectam habet artem bellicam, & imperatoriam, eamq; quæ iudicia exercet. Conſiderat quidem diſciplina ciuilis, & alia infinita; ſed hoc etiam, Bellane gerenda ſint, an non.

Sophiſtæ & Philoſophi diſcrimen: & quæ ratio non Entis ad Ens.

CAP. XXVII.



Valis verò Philoſophus, cum antea dictum ſit; ab hoc differt Sophiſta, moribus; quia hic ex iuuenibus queſtum facere ſtudet; & quod bonus ac honeſtus haberi mauult, quàm reuera eſſe. Materia uerò; quod Philoſophus in illis uerſetur, quæ ſemper eadem ſunt, & eodem modo ſe habent: Sophiſta, in eis quæ non ſunt, ſecedens in locum, in quo, propter tenebras non apparet.

Enti autem non opponitur, non ens. Siquidem hoc, nec existit; nec intelligi potest; nec illam existentiam habet. quod quidem, si quis, uel uoce exprimere, uel cogitatione complecti conetur, aberrabit. Quoniam in se dissidentia complectetur. Est autem non Ens, pro ut auditur, non nuda negatio Entis; sed subindicat aliquid relatum ad alterum: quodquidem, aliquo modo Enti adiungitur. ut nisi ipsum aliquid Entis assumserit, ab alijs distingui non possit. Nunc autem, quot sunt Entia; tot modis, non ens, dicitur. Quoniam, quod non est quoddam ens; id est non ens. Hæc uero ad institutionem in Platonis doctrinam sufficiant. De quibus quædam fortasse suo ordine; alia, sparsim & inordinatè: sic tamen sunt omnia exposita, ut ex ijs quæ tradita sunt; per consequutionem liceat contemplari & inuenire reliqua eiusdem decreta.



EX CABALA PYTTAGORÆ Symbolica.

I.

IN Templum abiens procide, nihil aliud medium ſæculare neq; dic, neq; fac.

II.

Non obiter introeundum in templum, neq; in via adorandum, neq; ſi ante fores ipſas aſtiteris.

III.

Diſcalciatus ſacrifica & adora.

IIII.

De Dijs nihil admirabile diffidas.

V.

Incredulus ne ſis.

VI.

Populares vias declinans, per ſemitas perge.

Abſti-

VII.

Abstine melanuro. mortalium enim est Deorum.

VIII.

Linguam ante alia contine, Deos sequens.

XIX.

Ventis flantibus Echo adores.

X.

Ense ignem ne cædito.

XI.

Viro imponente pondus, simul eleua: deponeutem ne iuues.

XII.

Ad calciandum, dextrum indue pedem: in peluim sinistrum.

XIII.

Sine lumine de Pytagoræis ne garrias.

XIIII.

Stateram ne supergrediare.

XV.

Peregre é domo proficiscens, ne conuertere: Furiæ enim transeunt.

Ad So-

XVI.

Ad Solem ne micturies,

XVII.

Lampade ſedem ne abſtergas.

XVIII.

Callum enutrias, ſed non ſacrifices: Lunæ quippe et ſoli Sacer eſt.

XIX.

In ſemodio ne ſedeas.

XX.

Nil educes quod vnguibus inſtructum ſit aduncis.

XXI.

In via non ſcindas.

XXII.

Dei typum annulo ne imprime.

XXIII.

Circa laternam ne ſpeculare.

XXIIII.

Penes ſacrificium ne ſis cæſis vnguibus.

XXV.

Dextram non cuiuis facilè inijce.

Stratis

XXVI.

Stratis exurgens, ipsa complica, & figuram confunde.

XXVII.

Cor ne vores.

XXVIII.

Cerebrum ne comedas.

XXIX.

Vnguium criniumq́ præsegmina ne commingito.

XXX.

Rubicundum ne assume.

XXXI.

Ollæ vestigium ne obliteres.

HAFNIÆ

Apud Iohannem Stockelmannum & Andream Gutteruitz

1574

40

XXVI.

Stratis [illegible], ipsa complica, & [illegible].

XXVII.

Ca[illegible]

XXVIII.

Cer[illegible]

XXIX.

[illegible] ne commingito.

XXX.

Rubicundum ne assume.

XXXI.


[illegible]

[illegible]NIÆ

Apud [illegible] & [illegible]

[illegible]

[illegible] 4


2714.